MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

Vol 7 for 8

MENSE IULIO 1942

N.S. No. 5

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

FOR CIRCULATION AMONG OURS ONLY

WOODSTOCK COLLEGE PRESS

N. 5. MENSE IULIO 1942

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

RES ROMANAE

Iubilaeum Summi Pontificis. — Iubilaeum episcopale Summi Pontificis nobis obtulit opportunitatem ostendendi reverentem amorem erga communem Patrem, nostrae Societatis amantissimum. Nota est omnibus epistola data a Patre Nostro die 22 februarii huius anni de ratione illud iubilaeum celebrandi. Cui invitationi Societas, quantum hodiernis in adiunctis licuit, magno cum animi ardore respondit. Atque ita, quamquam ex nonnullis Provinciis et Missionibus tempestive haberi non potuerunt indicationes necessariae, ex iis quae ad nos pervenerunt confici potuit libellus septem pergamenis papyris perbelle depictis constans, quem Pater Noster Summo Pontifici offerendum curavit. Quod autem tenue hoc filiorum pietatis signum Beatissimo Patri acceptissimum fuerit, mox patuit ex epistola Excellentissimi Domini Ioannis Bapt. Montini die 13 iunii data, qua ex mandato et nomine Sanctitatis Suae amplissimae agebantur gratiae et Benedictio Apostolica Patri Nostro et universae Societati communicabatur.

En brevis quaedam descriptio illius libelli: Primum folium exhibet imaginem Summi Pontificis hac inscriptione: *Pacem Te poscimus omnes. SS.mo Domino* PIO PAPAE XII — *quintum Episcopatus lustrum feliciter explenti* — SOCIETAS IESU — *Patri Benevolentissimo — arctissimis nexibus devincta — pie demisseque offert.* — Secundum folium exhibet magnam arborem, Societatem, cuius rami Assistentias, ramuli Missiones repraesentant. Subscripta habet haec verba: *"Promitto specialem oboedientiam Summo Pontificia circa missiones"*. Tertium et quartum continent septem strophas sapphicas, quibus Summo Pastori flosculi spirituales totius Societatis offeruntur [1].

[1] Ecce textus carminis, confecti a P. Victorio Genovesi (Ven. Med.), S. Rituum Congregationis hymnographo:

Quintum praebet *Sancta Missarum Sacrificia ad mentem Summi Pontificis offerenda.* 12.500 *Sacerdotes e Societate Iesu, praeter Missam ipso die* 14 *maii una cum utroque totius orbis catholici clero pro Dno. Nostro Pio PP. XII celebrandam, alteram singuli Missam ad mentem Beatissimi Patris, decurrente anno iubilari, sponte offerent: Missas* 25.000. — 224 *Neo-Sacerdotes e Societate Iesu, qui ex singulari gratia hoc ipso die iubilari,* 13 *maii* 1942, *sacerdotio initiantur, tot Missas pro Beatissimo Patre Pio XII se oblaturos promittunt, quot ex hac anticipata ordinatione usque ad diem consuetum secus exspectandum computantur: Missas* 9.626.

Sextum folium ostendit *Alia dona spiritualia in variis Societatis Iesu Provinciis sponte oblata.*

SS. Missae in 1ª int. celebratae . .	13.462
SS. Missae in 2ª int. celebratae . .	58.816
SS. Missae pie auditae	1.337.929
SS. Communiones	801.216
Visitationes ad SS. Sacramentum . .	2.283.130
Coronae Rosarii Mariani	1.820.038

Ponit armorum strepitus parumper
gaudio mire iuvenescit orbis;
vota diffundunt TIBI, Summe Pastor
undique gentes,
quod mitra quintum bifida revinctus
conficis lustrum, triplicis coronae,
qua modo ornaris, decus auspicata
sceptraque mundi.
Te vices Christi celebrant gerentem,
ordinis solum columen labantis,
perpetem Petrum, populis sequestrem,
pacis et aequae.
Consonat plaudens generosa votis
et Phalanx Jesu, renovatque nexus,
queis eam Petro prius obligavit
Cantaber heros;
gestit et priscum meminisse alumnum
Virginis diae tenerum clientem,
quaeque nunc natis animi paterni
pignora praebes.
Dulce testamen pietatis ergo,
quos amor sollers TIBI comparavit
flosculos, miti, venerande Pastor,
excipe vultu.
Interim Jesum prece flagitamus,
ut fluat felix TIBI semper aevum,
pax et afflictas, duce TE, revisat
candida gentes.

Preces iaculatoriae	38.453.600
Actus mortificationis	4,376.327
Aliarum virtutum actus	10.805.557

Septimum folium sic habet: *Apostolatus Orationis cum Cruciata Eucharistica, Congregationes Marianae, Alumni Collegiorum Societatis Iesu pia inter se aemulatione — filiorum instar — multimoda spiritualia obsequia et oblationes — nectenda parant — quae mox Beatissimo Patri Pio XII — laeti exhibebunt — modicam etiam stipem erogantes — pro S. Eugenii templo — in perenne huius Iubilaei mnemosynon — in Urbe erigendo.*

Inter obsequia Beatissimo Patri hoc modo exhibita peculiari memoria digna sunt illa 9.626 Sacra a nostris Neo-Sacerdotibus oblata. Res ita evenit. Scholastici auditores theologiae III[1] anni in Pont. Universitate Gregoriana, supplices dederunt litteras Patri Nostro ut sibi liceret ordinationem sacerdotalem maturius recipere ita ut et primum Sacrum facerent ipso die iubilari Summi Pontificis et annuente P. Provinciali, omnes Missas pro Beatissimo patre offerrent usque ad diem consuetum, quo secus sacerdotio initiandi fuissent. Pater Noster id libenter excepit et obtinendum curavit Rescriptum a Sacra Congregatione de Religiosis non tamen pro solis Scholasticis Romanis sed etiam pro aliis qui annum tertium theologiae inchoassent autumnali tempore anni superioris. Indultum a benevolentissimo Cardinali La Puma, illius Sacrae Congregationis Praefecto, benigne concessum, statim cum omnibus Provinciis communicatum est, quae in illis condicionibus erant, re tamen Patri Provinciali permissa non imposita; simulque suadebatur ut etiam aliis Neo-Sacerdotibus aliquid simile permitteretur, quod Praepositus Romanus suis Scholasticis ultro concesserat, complures nempe offerre Missas pro Summo Pontifice ex iis quas primis hisce mensibus celebrassent. Id autem aliqua saltem mensura ubique factum est, ita ut singuli 224 Neo-Sacerdotes 50 circiter Missas pro Summo Pontifice celebraverint. Ordinationes vero huiusmodi paulo ante diem 14 maii habitae sunt, alicubi magna cum solemnitate; Lugduni v. gr. ab ipso Emo. Card. Archiepiscopo in Cathedrali, Lovanii ab ipso Emo. Card. Van Roey, Romae in templo paroeciali nobis commisso, a S. Roberto Bellarmino nuncupato, eo die quo eius festum agebatur: Primae autem Missae celebratae sunt die 14 maii in festo Ascensionis, quo die Summus Pontifex in Basilica Vaticana Sacrum iubilare obtulit.

De aliis festivis commemorationibus huius iubilaei a Nostris promotis, non vacat nunc verba facere, eo magis quod non-

dum de iis ad nos satis relatum est. Meminisse sufficiat quod Romae factum est:

Die 12 maii Universitas Gregoriana commemorare voluit ritu sollemnissimo iubilaeum episcopale Summi Pontificis. Illam celebrationem suo honestarunt interventu 15 Emmi. Cardinales, complures Archiepiscopi, Episcopi, praelati et officiales Sacrarum Congregationum Romanarum, Superiores generales Institutorum religosorum, Exmi. viri Diplomatici, etc. Introductionis verba dixit Rector Universitatis, quam subsecuta est, interiectis concentibus chori, elegantissima oratio Emmi. Card. Caroli Salotti. Postero die, qui est sacer Sancto Roberto Bellarmino, Universitatis Patrono, in templo S. Ignatii, in quo eius sacrae exuviae custodiuntur, Emmus. Card. Iosephus Pizzardo, Praefectus Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, sacrum sollemne ritu pontificali celebravit coram ingenti coetu Superiorum, Professorum, alumnorum Universitatis, etc. Missae solemnia hymni Ambrosiani graves et numerosi concentus subsecuti sunt. Die vero dominica, 17 maii, hora 5ª postmeridiana convenimus in templum SS. Nominis Iesu quotquot de Societate Romae degimus, horam adorationis coram Sanctissimo solemniter exposito peracturi. Contionem adiunctis valde accommodatam habuit P. Iosephus Massaruti (Rom.). Sacra caeremonia, simplex ac devota, clausa est hymno Ambrosiano et Benedictione Eucharistica a R. P. Vicario impartita.

Curia Societatis. — Ex Gallia in Curiam redierunt: die 6ª ianuarii P. Aemilius Villaret, qui nunc curam gerit Secretariatus Centralis Congregationum Marianarum; die 25ª februarii P. Albertus Dauchy, Substitutus Secretarii pro Assistentia Galliae.

Institutum Biblicum. — E Domo Hierosolymitana nuntiatum est omnes Nostros ibi bene valere, etiam duos *internatos* P. Kutsch et Fr. Coad. Decher.

P. Robertus Koeppel (Germ. Sup., olim Prof. geographiae Palaestinae, geologiae et praehistoriae in Domo Hierosolymitana Instituti Biblici), die 9 decembris 1941 propter merita de effossionibus in Teleilat Ghassul et ad Tell Oreime peractis nominatus est socius ordinarius Instituti Archaeologici Imperii Germanici. Praeses huius Instituti ad eum scripsit: "Laboribus multorum annorum insigne meritus es de antiquitatibus Palaestinensibus indagandis. Proximae potissimum effossiones a Te perfectae nostras notitias de vetustissimis illius regionis culturis maxime

auxerunt". Rector Instituti Biblici praesidi istius Instituti scientifici nonnullis hebdomadis ante interroganti, num P. Koeppel talem nominationem acceptaret, responderat eum quidem accepturum esse, sed in praesens tam gravi morbo laborare, ut non magna spes esset eum in futurum ad labores illius Instituti conferre posse. Quo non obstante in sessione plenaria d. 9 decembris habita nominatio, quae sane etiam ipsi Pont. Instituto Biblico honori est, effecta est. Demonstrat quantum auctoritas Instituti Biblici illis effossionibus amplificata sit atque quanti momenti effossiones istae esse aestimentur.

Causae canonizationis et beatificationis. — Ad sollemnia canonizationis quod attinet BB. Bernardini Realino et Ioannis de Britto, Summus Pontifex opportunum duxit ea in aptius tempus amandare, quando scilicet optata pax humanitati iterum refulserit.

E reliquis causis, proxima speratur disceptatio antepraeparatoria de martyrio et causa martyrii Servorum Dei PP. Petri Olivaint et Sociorum; itemque introductio causae Famuli Dei P. Richardi Friedl. Impense quoque promovetur causa Fratris Coad. Francisci Garate, cuius interea paratur introductio apud Sacram Rituum Congregationem.

Nuper, exoptantibus Sororibus Sanctae Familiae SS. Cordis, inchoata est causa P. Stephani Rabussier (Franciae), illius Instituti Fundatoris, qui mortuus est anno 1897, sed plures adhuc supersunt testes de visu. Ad rem citius et melius perficiendam, perculiare indultum obtentum est ut processus ordinarii Romae praecipue fiant potius quam in diocesi Pictaviensi, ubi Servus Dei obiit; quamquam, ut patet, etiam ibi et Parisiis etc. iuridicae investigationes rogatoriales peragentur. Interea iam editum est decretum Tribunalis Ordinarii Romani ad eius scripta colligenda.

Alia item causa nuper inchoata est, eaque multiplex, in Hispania, de Nostris nempe qui victimae furoris bolscevistarum perierunt annis 1934-1938. E numero ingenti horum martyrum (ut eos passim vocat pietas fidelium) selecti sunt interea circiter quinquaginta, de quorum morte certiora haberi potuerunt testimonia; et iam coepti sunt in variis dioecesibus processus ordinarii; plerique ex iis ad Provinciam Aragoniae pertinent, quae vim persecutionis proprius et vehementius passa est: inter eos autem, ut unum nomen afferamus, est etiam P. Ioannes Bapt. Ferreres, theologiae moralis professor et scriptor notissimus. Pro tota hac latissima causa constitutus est Vicepostula-

tor generalis in Hispania P. Franciscus Xav. Montalbán (Castell.), qui Romam prius venerat ut totum negotium conferret cum Patre Nostro et nostro Postulatore generali.

NUNTII DE VARIIS PROVINCIIS

Legens nuntios qui sequuntur de variis Provinciis et Missionibus Societatis necnon elenchum nostrorum defunctorum, benevolus lector memoria teneat nos e nonnullis regionibus ob commercium litterarum valde irregulare vel omnino suspensum, pauca vel nulla accipere. Haec est ratio cur de multis Provinciis et Missionibus, in quibus sine dubio magna pro Dei gloria et salute animarum operantur, pauca vel nihil referamus.

ASSISTENTIA ITALIAE

Generalia. — Optimi nuntii undique ad nos perveniunt de opera Nostrorum Cappellanorum militarium. Inter alia memoria digna sunt quae geruntur a Patre Carolo Messori (Rect. Coll. Patavini), qui a duobus annis inter nautas navium *submergibilium* quae dicuntur, optimo cum fructu laborat. — P. Petrus Leoni (Rom.) qui, ritu bizantino-slavo ordinatus, nunc cappellani ministerium explicat inter milites in Russia, etiam ad orthodoxos, dum licuit, suam curam extendit. Primo quod celebravit sacro, ritu orientali, plures adfuerunt orthodoxi, qui fusis copiosis lacrimis caeremonias sequebantur. Preiudicia contra unionem cum Sede Romana multum remisisse videntur. — P. Alfonsus Montabone (Taur.), postquam a dimicando in Graecia cessatum est, quo tempus vacuum officiis melius impenderet, colloquens cum pueris ac populo, linguam eorum apprime didicit, quin etiam grammaticam graeco-italicam scripsit, quae amplis verbis ab auctoritate militari laudata et commendata est. Hoc praebuit Patri occasionem agendi cum sacerdotibus et fidelibus orthodoxis; nec sine fructu; nam illi inceperunt aestimare sacerdotes et *iesuitas* ceu pios et doctos. Sed, quod ad unionem attinet, in clero magnam repugnantiam et praeiudicia invenit. Pater etiam inter captivos linguae anglicae utiliter suum ministerium exercere potest. — Actuosum etiam apostolatum castrensem exhibet P. Agrippinus Jaluna (Sic.) inter milites in

campestri nosocomio decumbentes, promovendo devotionem et cultum B. M. Virginis, sub titulo "*Patronae Sanitatis Militaris*". Miles italus, in arte pingendi peritus, perbelle expressit imaginem B. M. Virginis benedicentis ac protegentis milites vulneratos ab acie retractos. Excmus. DD. Angelus Bartolomasi, Ordinarius Militaris, Patri gratulatus est de suo in promovenda devotione Mariana indefesso ardore, orationem ab eo compositam ad B. M. Virginem sub praedicto titulo adprobavit, et militibus eam recitantibus indulgentiam 100 dierum concessit. Notitia huius singularis devotionis erga B. M. Virginem "*Patronam Sanitatis Militaris*" per complures ephemerides ac periodica in Italia cum laudibus sparsa est. — Romae P. Aloisius Apolloni (Rom.), moderator operis "*C. Massaruti*" pro militibus, munus suscepit, ab Auctoritatibus militaribus sibi oblatum, Cappellani vices gerendi et docendi religionem in scholis Collegii Militaris. Illam Pater singulis per hebdomadam diebus tradit alumnis per varias classes distributis.

Congregationes Marianae. — Congregatio mariana *Calaritana,* in Sardinia, actuosam vitam explicat; praeses iuventutis catholicae totius archidioeceseos est sodalis Congregationis, et alii quinque sodales intersunt consilio dioecesano Actionis Catholicae. Typis est impressa historia vitae *Caroli Vassallo di Castiglione,* alumni eiusdem Congregationis, a P. Greppi C. conscripta. Hic quartus congregatus est, de quo nuper in Italia biographia edita est; unus fuit *Fortunatus Chiari,* e nostra Congregatione Florentina, de quo P. H. Baragli vitam pulchre conscripsit; alter fuit *Lando Ferretti,* e Congregatione "*Prima Primaria*", de quo idem Pater scripsit. De alio sodali e Congregatione Bononiensi, *Iacobo Maffei,* scripta spiritualia edita sunt ab ipso directore illius Congregationis, P. E. Arrighetti. In multis dioecesibus Italiae praeterea plures nostri Congregati vocati sunt ab Episcopis, vel ad dirigendam vel diversis muneribus adiuvandam Iuventutem Actionis Catholicae; ita factum est Romae, Florentiae, Calari, Bergomi, et alibi.

Nostrorum opera in Universitatibus. — P. Paulus Dezza, (Ven. Mediol.) Rector Universitatis Gregorianae, sub finem Quadragesimae per triduum vespere contiones habuit ad alumnos, circiter 1.000, Regiae Universitatis Romanae, in aula eius maxima, adstantibus Professoribus. Eadem in aula, in sacellum per eos dies conversa, Dominica Palmarum Sacrum pro praecepto paschali adimplendo celebravit Emmus. Card. Iosephus Pizzardo,

Praefectus Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, qui alumnis fere 700 Sacram Communionem distribuit. Dum novum amplius sacellum paratur, SS. Sacramentum servabitur in parvo sacello Universitatis, ut alumni, quoties velint, illud visitare possint. — P. Richardus Lombardi (Rom.), e Collegio Scriptorum *"La Civiltà Cattolica"*, conferentias philosophico-religiosas habuit in aula magna Universitatis Bononiensis, vocatus ab illius Rectore Magnifico. Egit de divina Providentia in historia mundi. Interfuerunt Emmus. Card. Archiepiscopus, Rector Magnificus, Professores, alumni diversarum Facultatum et alii bene multi studentes, (plus quam 1.000); quorum omnium orator mentes erudiit animosque commovit. Simile quid egit Pater Venetiis in aula magna Academiae Foscarianae. — P. Victorius Marcozzi (Ven. Mediol.) Professor in Collegio Nostrorum Gallaratensi, habuit conferentias item scientifico-religiosas in aula magna Regiae Universitatis Mediolanensis, primum Professoribus et laureatis, dein alumnis; plus quam 1.000 interfuerunt. Uterque cursus clausus est triduo contionum ad praeceptum paschale adimplendum. Communio generalis studentium Regiae Universitatis frequentissima, ut iuvenis Pater laudes Archiepiscopi meruerit et vota Professorum ut in posterum singulis annis simile aliquid efficere velit. Eumdem fere laborem praestitit similemque collegit fructum P. Carolus Giacon (Ven. Mediol.) in Universitate Patavina. — Patres Iacobus Martegani (Ven. Mediol.) Rector Collegii Scriptorum *"La Civiltà Cattolica"*, Paulus Dezza, Rector Universitatis Gregorianae, Richardus Lombardi, Carolus Giacon, invitati ab ipso Ministro Educationis Nationalis, interfuerunt conventui Professorum, in quo actum est de reformandis in Italia studiis Philosophicis, et de introducenda fortasse cathedra Theologiae in Facultate Philosophica. — P. Paschalis D'Elia (Neap.) incepit in Regia Universitate Romana cursum *liberi docentis* Linguae, Litterarum, Historiae Sinarum; qui quidem cursus tanta alumnorum laude a Patre habitus est ut post paucos menses, multo ante tempus a legibus Universitatis statutum ab Auctoritatibus Universitatis *officialis* declaratus sit.

Romana. — *Civiltà Cattolica.* Institutus est coetus quidam laicorum, cuius nomen AMICI DELLA CIVILTA CATTOLICA. Eius statuta ab ipso Summo Pontifice approbata sunt. In calce pergamenae, Sibi ad probationem oblatae, Summus Pontifex haec perpulchra verba dignatus est propria manu scribere: *"Amicis Commentarii* LA CIVILTA CATTOLICA, *qui christianae doctrinae*

defendendae et diffundendae aemulo studio permoti, eidem Commentario insignibus meritis praeclaro, prece, opera, consilio, favore et quolibet adiumento opitulari contendunt, a Deo actuosae gratiae largitatem adprecamur et amanter benedicimus. Ex Aedibus Vaticanis, die 20 *Februarii* 1942. — *Pius PP. XII".* In praesens centra *Amicorum* Romae, Neapoli, Genuae, Mediolani, Bononiae, Potentiae, Florentiae et alibi statuta sunt.

Hisce ultimis duobus annis ephemeris ipsa, opera praesertim P. Züllig, Administratoris, qui plura loca, seminaria potissimum, peragraverat, numerum subsignatorum duplicavit, ad 13.500 attingens. Ab ipsa S. Congregatione de Seminariis commendata est alumnis Seminariorum (cf. *Acta Rom.*, 1941, pp. 76 sq.) ; iis vero qui eo anno Sacerdotes fiunt, dimidiato pretio ephemeridis subsignatio conceditur.

Collegia Romana. — In Collegia Germanico-Hungarico alumni ob adiuncta belli paucissimi sunt. Ineunte hoc anno numerabantur tantum 50, quorum 14 e Germania et Austria; novi tantum septem fuerunt. Novae aedes, quarum exstructio lente procedere coacta est ob magnas difficultates inventas in fundamentis et rerum caritatem, tandem ad fastigium pervenit. — Collegium Pium Latinum Americanum ex quo tempore bellum incepit nullum novum alumnum recepit, plures vero Americam petere vidit; nunc igitur numerus eorum vix 100 attingit. — Collegium Pium Latinum Brasiliense, post discessum 9 alumnorum, solum numerat 12.

In paroecia Sancti Roberti Bellarmini in Urbe, opere musivo in abside altaris maioris rite perfecto, Patri Aristidi Delmirani, Parocho, consilium erat ornandi eadem ratione etiam altare Sacratissimo Cordi Iesu dicatum. Ad pecuniam comparandam egregius cantor Beniaminus Gigli gratis suam operam posuit in tribus concentuum academiis, e quorum proventibus sacellum totum affabre potuit ornari. Memoriae causa lapis ei dictatus est sic inscriptus: *"In honorem SS. Cordis Iesu — Beniaminus Gigli — hoc musivum ponendum curavit — corde et voce".* Concursus fidelium ad sacras functiones crebrior in annos redditur; communiones primis feriis sextis cuiusque mensis, frequentissimae. Ad Missam quae diebus festis hora 12 celebratur tanta adest fidelium multitudo ut plures amplissimae templi aedes capere non possint. Communiones distributae sunt: anno 1940, 80.000; anno 1941, 150.000. Commemorare hic placet, quoniam ad hanc paroeciam pertinet, fructum conversionis a protestantismo ad fidem catholicam Ducis Aetii Garibaldi, quam ephemerides nationales et exterae satis divulgarunt.

In *Domo Probationis Aricinae* Scholasticus Anselmus Ramadù, iunior, insignem gratiam obtinuit per intercessionem B. Claudii de La Colombière. Frater ad extrema pervenerat ob utriusque pulmonis affectionem; et, cum iam antea corde etiam laborasset eius sanationem medici omnino desperabant; sed post diuturnas et ferventes preces, ab eo et sociis fusas, reliquiam B. Claudii osculando, sanus fieri derepente cepit; mox adeo convaluit ut etiam vitium cardiacum, quamquam non penitus disparuit, valde imminutum sit. Insignis haec gratia, etsi ob quasdam difficultates proponi nondum potuit pro B. Claudii canonizatione, nihilominus multum erga illum fiduciam et devotionem Nostrorum auxit.

P. Octavius Marchetti (Rom.) occasione sui aurei iubilaei sacerdotalis, quod ipse simplici ritu fraterno religiose celebravit, epistolam gratulatoriam accepit ab ipso Summo Pontifice subscriptam. Quippe a multis annis Sua Sanctitas illum peculiari existimatione ac benevolentia prosequebatur propter eius insignia merita in colendis verbo et scripto praesertim ministris sanctuarii. Hic Pater ter Familiae Pontificiae Exercitia Spiritualia Sancti Ignatii egregie exposuerat, et in Conclavi anno 1939 Confessarii munere fungebatur.

P. Victorius Genovesi (Ven. Med., sed Romanae iam diu applicatus) die 24 martii nominatus est hymnographus Sacrae Rituum Congregationis. Idem Pater nuper iterum obtinuit praemium "Ruspantini" apud Regiam Universitatem Romanam ob poëma latinum.

Neapolitana. — Visitator Provinciae constitutus est R. P. Raphaël Bitetti (Rom.), qui visitationem die festo Patrocinii S. Iosephi incepit.

Foedera Perseverantiae per pagos et urbes late sparguntur, merito praesertim Directoris, Patris Armandi Juè. Episcopi verbo et scripto hoc opus valde laudant, quippe homines ferventes in vita christiana et assiduos ad SS. Sacramenta reddere solet. In tota Provincia ultimis quatuor annis plus quam 44.000 hominum ope Foederum Perseverantiae piis Exercitiis exculti sunt. Ipse Summus Pontifex Patrem laudare et paterne eius laboribus benedicere dignatus est. De hoc Opere Foederum Perseverantiae Emmus. Card. Maglione a Secretis Status, inter alia die 4 ianuarii 1941 sic Patri Nostro scripsit: ". . . *Verbum laudis et sancti incitamenti vult adiungere Sanctitas Sua ob multa bona quae Foedera Perseverantiae conferunt viris, etiam in locis qui videbantur ingratissimi; quod signum est ardentis zeli in carissimis filiis Sancti Ignatii*". Paulo post hanc epistolam datam,

Summus Pontifex die 19 ianuarii 1941 imaginem Suam photographicam Patri Nostro mittere voluit, propria manu subscriptis italice verbis, quae hic in latinum conversa subiungimus. *"Dilectis filiis Foederibus Perseverantiae adscriptis, qui opera Patrum Societatis Iesu in fontibus gratiae et doctrinae vim inveniunt ad christiane vivendum, ex animo impertimus Benedictionem Apostolicam, quae fulciat sancta proposita fidelis generositatis et exemplarium virtutum"* (cf. *Act. Rom.*, vol. X, 1941, pag. 6).

Institutio religiosa puerorum in scholis publicis elementaribus. — Infrequentior puerorum concursus ad scholas catechismi paroeciales civitatis Neapolitanae Nostris stimulum addidit ad remedium tanto malo apponendum. Cogitatum est pueros in ipsis scholis publicis doctrinam christianam praeter cursum scholasticum lege publica statutum plenius docere. Igitur plurimis superatis difficultatibus, tandem Auctoritates ecclesiasticae et civiles de ratione peragendae institutionis amice consenserunt. Itaque singulis hebdomadis, feria quinta 125 catechistae, maximam partem alumni nostri Pontificii Seminarii Pausilipensis et aliquot Scholastici e nostro Maximo, per scholas elementares urbis distributi, religionem docent plus quam 8.000 pueros, in 250 classes distributos. Emmus. Cardinalis Archiepiscopus valde laetatus est de hoc incepto, quod *benedictionem caelestem* appellavit. Immo, consilium ei est inducendi etiam omnes alumnos sui Seminarii Maioris ad hanc operam amplificandam.

Sicula. — Exc.mo Archiepiscopo Messanensi, qui tam amplas aedes perpetuo usu Societati donavit pro nostro Collegio Maximo, et pro Domo Exercitiorum cleri, participatio bonorum spiritualium Societatis decreta est, eique expressa fuit in charta pergamena affabre picta. — *Panormi,* P. Vincentius Insolera tradidit Exercitia Legioni Metropolitanorum, qui fere omnes (500) una cum Regio Quaestore et Centurionibus Legionis simul ad S. Communionem Paschalem accesserunt. P. Aemilius Drago Exercitia tradidit omnibus viris "UNPA" (Unio Nationalis protectionis Antiaerae) eiusdem civitatis; ipse urbis Praefectus interfuit Missae Communionis paschalis. Quae duo ministeria multum civitati placuerunt. — Ex *Missione Graeca* scimus Athenis Nostros potuisse complures (500) fame pressos quotidie alere.

Taurinensis. — In domo Exercitiorum ad *S. Mauro Torinese* tempore aestivo praeteriti anni tradita sunt Exercitia per integrum mensem 25 sacerdotibus vel clericis. Hoc ministerium

anno 1919 inceptum, singulis annis actum est; hucusque 428 numerantur e clero plurium dioecesium Italiae, qui mensem Exercitiorum peregerint; inter quos eminent Rev.mus Dom. Salvator Natucci, Promotor Generalis Fidei, et Exc.mus Dom. Beniaminus Nardone, Secret. S. Congreg. Caeremonialis. — *Collegii Taurinensis* veteres alumni iam nonum numisma aureum in bello tulerunt, unde patuit quo imbuti fuerint spiritu sacrificii ad suum officium erga patriam adimplendum.

Veneto-Mediolanensis. — In tota Provincia, immo etiam ab omnibus Sociis Provinciae extra eam degentibus, maxime vero in Domo Probationis Leonicenae, sollemnibus ritibus celebratum est centenarium, ex quo in noviciatu Provinciae venerari coepit pia imago B. M. Virginis, "*Mater Divinae Gratiae*" sic dicta, exemplar archetypae imaginis B. M. Virginis quae colitur Romae, in basilica Sanctae Mariae Maioris. Illud exemplar a Sancto Francisco Borgia olim pie custoditum, Provinciae Venetae dono dederat anno 1841 P. Ioannes Roothaan.

Ad emendum fundum pro nova et digniore sede Collegii Mediolanensis aedificanda, plures insignes benefactores inventi sunt; ipse Dux Gubernii Italiae decies centena millia libellarum concessit.

In Albania tandem, post bellum, tempore hiemali, quo montani illi homines domi manere coguntur, Nostri Patres denuo potuerunt operam dare Missionibus excurrentibus. Ante Nativitatem Domini Missionariorum duo coetus, singuli binis Patribus et uno Fratre constituti, optimo cum fructu animarum, montes impervios Archidioecesis Scodrensis percurrerunt. Post Natalem vero transierunt ad Archidiocesim Antivariensem, nuper Albaniae additam, quae a 25 annis Missionarios non videbat.

Tiranae, in urbe Albaniae principe, novum nostrum templum SS. Cordi Iesu dicatum magna continenter fidelium frequentia cohonestatur: diebus festis, itemque mense maio et iunio, ceremoniae bis repeti debent, pro italis altera, altera pro albaniensibus, ut alterutri propria lingua contionem audire et hymnos canere queant. — Ex munifico auxilio Excmi. Mercalli, ducis militum italicarum in Albania, ibidem aliam domum coëmere potuerunt Nostri pone ecclesiam sitam, atque ita habitationem nostram amplificare et melius disponere; item theatrum aliaque apta oblectamenta pro militibus, pro pueris etc. comparata sunt; et demum turrim campanariam mox aedificare in animo est.

ASSISTENTIA GERMANIAE

Provinciae Germaniae. — Vix quicquam referendum occurrit. Nostri ubique laborant, quantum difficiles temporis condiciones permittunt. Domus probationis Hochelten, quae sola ex Noviciatibus Germaniae remanserat, magistratui exposcenti vendita et postea in seminarium magistrorum conversa est. Ex militia dimissi haud pauci Philosophi in Collegio Maximo NN. Pullacensi, Theologi vero in Collegio Francofurtensi et in Universitate Viennensi studia sedulo continuant; sed magnus numerus Scholasticorum semper sub armis est, octo saltem hoc anno acie conciderunt. — Domus probationis pro Noviciis Helvetis in principatu Liechtenstein (Balzers) erecta bene procedit.

Hungariae. — Circa festum Nativitatis Domini quadraginta Patres Budapestinum convenerunt, ut de tutanda Ecclesia contra modernos errores consilia conferrent. Conventus adeo omnibus placuit, ut etiam in futurum tales congressus habere constitutum sit. — Associatio iuvenum agricolarum a P. Eugenio Kerkai condita et erecta (cfr. Memorab. VII p. 119 s.) publica approbatione Episcoporum summum fulcimentum morale accepit.

Via quae secus Domum nostram Budapestinensem decurrit, ex decreto magistratus urbis a nomine optatissimi P. Adalberti Bangha nuncupata est.

Lituaniae. — Gymnasium Collegii Caunensis, quod expulsis Russis ex Lituania a Nostris magna cum spe iterum apertum et restauratum erat, brevi post a gubernio denuo in scholam publicam Status conversum est. Magistri Nostri sunt dimissi, alii instituere pergunt. Mansit tamen sub nostra directione Convictus discipulorum, qui bene procedere dicitur. — Patres ad Exercitia spiritualia tradenda aliaque opera apostolica subeunda multum expetuntur.

P. Ioannes Bružikas, qui inde a mense septembri 1940 usque ad d. 23 iunii 1941 a bolscevistis Marijampole carcere detinebatur, Deo iuvante fructuosissimum apostolatum ibidem exercere potuit. Direxit non minus octo cursus Exercitiorum spiritualium pro detentis iisque habuit cc. 150 conferentias. Cum communistae hanc activitatem religiosam detexissent, Pater translatus est in cellulam, quae iam a quattuor aliis personis occupata erat.

Illi tunc una cum Patre devotiones instituerunt, cotidie viam crucis, rosarium, litanias dixerunt et allocutiones Patris auscultaverunt.

Neerlandica. — Nostri novum Collegium Maximum Traiectense ad Mosam anno ineunte relinquere coacti sunt; operariis exceptis omnes se contulerunt in Collegium Valkenburgense S. Ignatii, quod concorditer cum Sodalibus Provinciae Germaniae Inf. per aliquot menses inhabitabant. Eo quoque advenerunt PP. Tertiani Provinciae Neerlandicae ex Collegio Berchmaniano. Nam praeter Collegium Maximum Traiectense etiam Collegia Berchmanianum et Canisianum Neomagensia necnon Domum Exercitiorum Vughtensem Nostri evacuare iussi sunt, ita ut maior pars Provinciae extra domos proprias vivere coacta sit. Philosophi interim in Villa Collegii Berchmaniani studia continuant; scholae et Convictus alumnorum Collegii Canisiani in domibus privatis collocata sunt. — Cum ineunte iulio Collegium quoque Valkenburgense occupatum sit, Theologi interim in vicinam domum Exercitiorum Spaubeekensem se receperunt. In florentissima hac Domo anno praeterito Exercitia clausa data sunt 4.735 viris et iuvenibus, qui numerus nunquam antea attactus fuerat. (Ita corrigendus est numerus Exercitantium pag. 88 per errorem datus.) Nuper autem prohibitum est dare Exercitia clausa. Patres Vughtenses a tempore quo domo sua orbati sunt, Exercitia semi-clausa in ipsis paroeciis magno cum fructu tradunt.

ASSISTENTIA GALLIAE

Generalia. — R. P. Iosephus Demaux-Lagrange, Visitator, potuit per tres hebdomadas visitare aliquas Domos partis Galliae occupatae. Patri Bernardo Leib, Praep. Prov. Campaniae, licuit per duos menses visitare Scholasticos et plures suae Provinciae Patres, in regione non occupata degentes.

Campaniae. — Provincia passa est damna satis gravia: domos amisit 9; plene occupatas habet 4; semioccupatas 2; aliae iacturam haud spernendam subierunt. — Patres Residentiarum multum insudant laborando in dioecesibus in quibus penuria est sacerdotum, et quidem magno cum fructu.

Franciae. — Schola Agriculturae Andegavensis optime progreditur. Alumnos auditores habet 100. In cursibus datis per litteras lectores habet 10.000; hi in parte occidentali Galliae magnum influxum exercent. — Seriei librorum *"Construire"* sub finem anni 1941 edebantur 7.500 exemplaria. — Opus *"L'Oeuvre des Campagnes"* edit nunc supplementum bimestrale periodici *"Les Cahiers du Clergé rural Français"*. Offert sacerdotibus ruralibus articulos optime elaboratos ad hodiernum apostolatum exercendum. — P. Paulus Panici iterum dedit conferentias quadragesimales in templo Dominae Nostrae Parisiensi. A Card. Suhard rogatus est ut etiam anno proximo easdem habere velit.

Lugdunensis. — Diebus 8-12 aprilis celebratae sunt Lugduni, promotae ab Apostolatu Orationis, *Dies Formationis et Vigiliae orationis.* Destinatae erant vel maxime Directoribus, Zelatoribus et Zelatricibus Apostolatus Orationis et Cruciatae Eucharisticae. Nostri Patres maximam partem laboris sustinuerunt.

Tolosana. — A mense septembri 1940 Domus Valsensis curam habet specialem iuvandi materialiter et spiritualiter suos Patres et Fratres captivos in bello. Eorum numerus primum erat 70; mense maio huius anni, 52. Ad medium mensem maium usque, missi sunt eis 3.500 libri et 1.880 fasciculi cibariorum aliarumque rerum. — Durante toto tempore quadragesimali septem Patres missiones dederunt magno successu in centro minerario d'Alès. — Schola agriculturae Purpanensis, cui cura est efformare fabricatores et directores rerum ruralium, quaeque amica gaudet consuetudine cum Instituto Agronomico Officiali, bene procedit. Duos possidet fundos 200 ferme quaternorum iugerum, quibus alumni doctrinam in scholis acceptam ad praxim reductam contemplantur.

ASSISTENTIA HISPANIAE

Generalia. — *Missiones populares.* — Post bellum civile, redintegrata consuetudo est in Provinciis Hispaniae populum sacris missionibus excolendi, auctoritatibus civilibus ac politicis, nedum ecclesiasticis, omne genus commoditatum ultro offerentibus. Missas facimus plurimas sacras expeditiones per parvos humilesque pagos, quos ad sanctiorem vitae rationem nostri mis-

sionarii confirmarunt. Mittimus etiam missiones datas in magnis urbibus, vg.: Caesaraugustae, Malacae, Coruniae, Santanderii, etc., in quibus Nostri una simul cum aliis sacerdotibus e clero regulari partem laboris ac defatigationis haud sane parvam sortiti sunt. Sed silentio praeterire nefas magnam missionem datam in urbe Vicensi, cuius pondus totum humeris Nostrorum constitit. Illam scite promoverat ac paraverat P. Gregorius Sánchez Céspedes, Praefectus Missionum in Provincia Legionensi. Ad illius notitiam quaquaversus spargendam omne genus propagationis usurpatum: in templis conciones sacrae, consilia privata data per amicos, sodales Congregationum, pueros scholarum et Collegiorum; monita in porticis templorum et in muris domorum affixa, in tabernis commerciorum exposita, per plateas praecipuasque vias ope lucis electricae illuminata, per Radio diffusa, etc. Expetita in antecessum opera propitiatrix omnium urbis religiosarum, puerorum puellarumque. Missionarii, omnes e Societate, fuerunt 27; dies durationis, 11. Rogante auxilium Praeposito Provinciae Legionensis, Provincia Castellana obtulit 8 Patres; Aragoniae, 2; Toletana, 2; ipsa Legionensis dederat 15. Nullus fuit ordo civium, nullum genus personarum quod non vocem Dei contionibus et instructionibus sibi accommodatis exaudierit. In omnibus simul templis, paroecialibus et non paroecialibus, fabricis industrialibus, vicis, suburbiis habiti sunt actus missionis. Numerati sunt 50.000 assistentium ad sacras contiones, iis plurimis non computatis qui ope instrumentorum Radii collocatorum in plateis ac viis amplioribus, verba concionatorum audiebant. Actus praecipui fuerunt: Missio praevia pro omnibus pueris et puellis scholarum et Collegiorum (12.000); *Rosarium aurorae*, seu recitatio publica Rosarii B. M. Virginis facta per vias ante ortum solis (12.000 homines); exercitium Viae Crucis, item per vias publicas ordinatum, pro solis viris (10.000); sollemnis processio maritima, ducta imagine B. M. Virginis Carmeli, Patronae nautarum et piscatorum quae attraxit facile ad portum 80.000 spectatorum. Exercitium ultimum missionis, quod omnium sollemnissimum sperabatur, copioso imbre impediente, suspensum est. Fructus missionis uberrimus ultra quam speraverint omnes.

Periodicum "Manresa". — Quod adeo in votis fuit Congressibus Exercitiorum Barcinonensi et Loyolaeo, ut denuo in publicum prodiret periodicum *"Manresa"*, tandem, superatis multis difficultatibus, feliciter in actum deductum est. Limites, quos sibi prius circumscripserat *"Manresa"*, non parum amplificavit; neque enim aget solum de Exercitiis Spiritualibus Sancti

Ignatii vel de doctrina cum eis plus minusve connexa, sed excurret etiam per alias ditiones christianae perfectionis. Hac de causa ei additus est subtitulus: "*Revista de Ascética y Mística*". Moderator nominatus est P. Iosephus C. Sola (Arag.), olim Societatis Archivista.

Exercitia Spiritualia. — Opus Exercitiorum Paroecialium Barcinonense, quod moderatur P. Isidorus Gríful, secundum conventum generalem celebravit in Stadio publico urbis. Adfuerunt 1.460 inscripti. Horae antemeridianae Missae, communioni, sacro secessui dedicatae sunt. In prandio, lecto capite Evangelii de Beatitudinibus, facultas colloquendi data. Dein in campo Stadii, post magnam sculptam imaginem Iesu Crucifixi ordinati incedentes, Viam crucis percurrerunt. In publica sessione reddita ratio est de efficacitate Operis durante anno 1940-1941. Eo anno celebrati sunt 91 cursus cum 2.778 exercitantibus.

Recens fundata est in Hispania Congregatio Religiosarum, quibus titulus "Ancillae Christi Regis", fovendis Exercitiis Sancti Ignatii unice intenta. Plures habent iam domos Tutelae, in Navarra, Pampilone, Loyolae, Covadongae, etc.

In more positum habent, ex fundatoris fere praecepto, vocare semper Nostros ad tradenda Exercitia, cum teneant Exercitia genuina Sancti Ignatii, ad quae illae institutae sunt, a nullo melius quam a filiis Sancti Ignatii proponi posse. In earum fundatione multam operam contulit P. Candidus Arbeloa (Cast.).

Domus destinatae Exercitiis tradendis in Hispania multae aperiuntur; nec solum a Nostris, sed etiam ab aliis, maxime a clero saeculari. Domus eiusmodi in quibus Nostri operam navant numerantur in Provincia Aragoniae, 6; in Baetica, 5; in Castellana, 5; in Legionensi, 3; in Toletana, 4.

Anno 1941 in Loyolaea Domo Exercitiorum fuerunt 84 cursus cum 2.193 exercitantibus, pertinentibus ad 28 Provincias civiles Hispaniae. Recensendi 33 duces et officiales exercitus. Exercitia durant 5 solidos dies, silentio stricte servato. Cursus dati a PP. Provinciae Castellanae anno 1941 in 5 Domibus Exercitiorum fuerunt 149; exercitantes 6.298.

In seminario Victoriensi P. Franciscus Larrea (Castell.) menstrua Exercitia Spiritualia tradidit 42 sacerdotibus dioeceseos Victoriensis. Temporis partitio ea fere erat quam sequuntur nostri PP. Tertiani. Est in quibusdam sacerdotibus, maxime dioecesis Victoriensis, ardens desiderium vacandi Exercitiis menstruis, non solum ut propriae perfectioni consequendae efficacius moveantur, sed ut experientia edocti, Exercitia Sancti Ignatii penitus intellecta, cum fructu fidelibus proponere discant.

Etiam inter populum crescit in annos numerus eorum qui cupiunt Exercitiis Sancti Ignatii excoli, maxime tempore quadragesimali. Igitur perfecto circulo festorum Natalitiorum, Exercitia dantur *propagatoribus Exercitiorum*, iis videlicet quibus, apostolatum exercendi cupidis, cura erit adducere alios ad Exercitia peragenda. Cum vero multis in locis Nostri omnino impares sint tot hominum votis facere satis, res ita composita est ut meditationes et instructiones quae uno in loco proponuntur, ope *radio* per undas aethereas spargantur. Sic actum est in urbe Bilbaensi. Per Radio etiam dedit Exercitia P. Angelus Gómez plurimis infirmis decumbentibus in variis nosocomiis et asylis urbis Murciae, necnon infirmis degentibus in domibus privatis atque in viciniis civitatis, cunctis de re opportune praemonitis.

Matriti P. Angelus Carrillo de Albornoz proposuit Exercitia publice 2.000 universitariis, qui, cum in nostro templo omnes recipi non possent, aulas omnes Congregationis implebant, transitus, cubicula, scalas; omnes ope megaphonorum, sensibus animoque religiose collectis, oratoris sententias sequebantur.

In tota Provincia Toletana dati sunt 209 cursus Exercitiorum a 69 Directoribus. Fuerunt autem aliqui cursus speciali memoria digni. Sic exculti sunt: Praepositi ac officiales Ministeriorum Gratiae et Iustitiae (200) ac Marinae (160), praesentibus ipsis Ministris; Professores et alumni Scholae Militaris Segobiensis (500); Scholae Ingeniariae Industrialis (120); ingeniarii et architecti (500); Professores et alumni Universitatis Murciensis.

His addere liceat triduum meditationum propositarum a P. Carrillo de Albornoz Consiliariis Status. Hi cum vellent totum Consilium sub patrocinio Matris Boni Consilii collocari, huiusmodi consecrationi religiosam animorum praeparationem praemittere decreverant. Perfecto triduo, die 26 aprilis, Beatae Mariae Virgini Boni Consilii sacra, adstantibus omnibus, consecratio Consilii publice effecta est. Porro Consiliarii hodierni aperte voluerunt vestigia premere veteris Consilii Status, quod tantopere semper coluit illam ipsam imaginem Virginis Boni Consilii, in nostra ecclesia Matritensi olim veneratam, ex cuius ore Sanctus Aloisius invitationem accepit ingrediendi Societatem.

Florens status CC. MM. in Hispania. — Celebrato Matriti Congressu nostrorum Directorum CC. MM., cui interfuerunt 5 Provinciales et 83 Directores, e tota fere Hispania advecti, quemque sua praesentia honestare voluit ultima sessione Excmus. Nuntius, sodales CC. MM. novum ardorem internum concipere novamque virtutem exserere visi sunt.

Ac primum Praepositus Provinciae Toletanae omnes socios per litteras instructos voluit de momento hodierno nostrarum CC. MM., eos inducens ut pro virili in eisdem extollendis toto animo collaborarent. Cuius adhortationis effectum prima sensit Congregatio Matritensis Boni Consilii ac Sancti Aloisii, quam moderatur P. Angelus Carrillo de Albornoz. Habet haec Congregatio 958 sodales, et inter suos habuit 179 martyres ac heroes qui pro Deo et Patria sanguinem fuderunt. Quo igitur suum in agendo ardorem in aliorum animos facilius ingereret, edixit curriculum formationis pro Praefectis Congregationum celebrandum Matriti (21 sept.-5 oct.). Res successit bellissime, et Praefectorum animi ad Congregationem melius cognoscendam et ardentius propagandam accensi sunt.

Vita pietatis enutritur primum Missa quotidiana ad quam sodales e variis sectionibus selecti, sua quisque vice, assistunt, ac Pane eucharistico reficiuntur; deinde secessibus menstruis regulariter habitis, quibus Consilium Superius Iuvenum Actionis Catholicae assistere solet; denique *Excubiis*, quae dicuntur, Dominae Nostrae, factis per vices, spatio unius horae, ante imaginem B. M. V., quae eos vere equites marianos confirmant, quaeque speciem virilem et militarem pietati sodalium conferunt. Ut ad vitam apostolicam animum melius informent, instituti sunt varii coetus seu sectiones sodalium.

Sic exempli gratia: Circulus catecheseos regit 6 catecheses in suburbiis; circulus apologeticae, diffundendae doctrinae catholicae causa, visitat 3 nosocomia et duos carceres; academia eloquentiae et scriptorum propagat inter alios iuvenes Congregationem et exercitia spiritualia, et collaborat in periodicis *La Estrella del Mar* et *Signo;* secretariatus Missionum curat conservare et augere in sociis sacrum amorem missionum exterarum.

Nuper constitutus est secretariatus informationum de libellis editis et de spectaculis publicis, qui large spargit foliola ac fasciculos ut animos iuvenum avertant a pravitate saepe de industria occulta in ephemeridibus, periodicis, libris, spectaculis, maxime cinematographicis. Labor ingens, sed fructus ingentior. Has omnes sectiones amplitudine laboris facile antecedit secretariatus Exercitiorum; hic omnes nervos intendit ad sanctificandos sacris secessibus, non quidem sodales Congregationis, qui omnes subintelleguntur religiose eos peragere, sed alios iuvenes, alumnos vel condiscipulos Universitatis et Scholarum Superiorum. Huius laboris fructus, nec unus nec vulgaris est, nam consistit in formatione iuvenum selectorum qui postea attrahunt

alios ad Exercitia. Hoc continuo Exercitiorum usu augetur Actio Catholica manipulis universitariorum qui se tradunt nostrae directioni, et Congregatio ditatur optimis sodalibus, qui in nostras sectiones cooptati, eas facile inflammant calore Exercitiorum quo sunt pervasi. Sic Congregatio promovet Exercitia, et Exercitia promovent Congregationem. Parem, vel fortasse maiorem, in laborando strenuitatem invenire possumus in Congregatione Barcinonensi. Constat 2.311 sodalibus: 1.015 numerariis; 452 supernumerariis; 844 honorariis. Ad 5 sectiones pietatis pertinent 752 sodales; ad 6 coetus caritatis, 139; ad 6 centra catecheseos, 185; ad 7 academias, 254. De aliis bene multis CC., quae vere florent in Hispania, ne verbum quidem addere valemus.

Confoederatio Nationalis Hispana Congregationum Marianarum. — Proponente ac rogante Patre Angelo Carrillo de Albornoz, Directore, adhaesionem officialem CC. MM. in Hispania ad Actionem Catholicam, haec libenti animo et verbis honorificis accepta est a Consilio Technico Nationali. Vi igitur huius concessionis Praeses Confoederationis Hispanae Congregationum Marianarum ad conventum Actionis Catholicae ceu consiliarius vocabitur, quoties agendum erit de rebus ad Congregationes Marianas pertinentibus.

Nostrorum honores et onera. — Auctoritates civiles multo largius nunc quam ante revolutionem utuntur opera Nostrorum in restauratione religiosa, scientifica, sociali Hispaniae. Ut nihil dicatur de auxilio in hunc finem praestito ope Exercitiorum Spiritualium (de qua re supra), plures e Nostris vocati sunt ut essent consiliarii, cappellani, assessores religiosi, professores, in Institutis officialibus Status. En aliqua exempla:

P. Iacobus Pujiula (Arag.) cooptatus est in Academia Scientiarum Naturalium, ut membrum numerarium. P. Antonius Romañá (Arag.) est Praeses sectionis astronomicae Instituti Nationalis Geophysicae atque Instituti "Jorge Juan". P. Iosephus M. Bover (Arag.) est Praeses sectionis Mariologicae in Instituto "Francisco Suárez". P. Nemesius Otaño (Cast.) nominatus est Director Conservatorii Nationalis Musices, Praeses Consilii Nationalis Musices, socius Regiae Academiae Pulchrarum Artium. Recens decoratus est Magna Cruce Alfonsi X Regis, Sapientis. P. Antonius Valle (Leg.) est membrum Consilii Nationalis Educationis. P. Constantinus Bayle (Tol.) est Praeses Commissionis pro studiis Missionum hispanarum. Praeterea 10 Patres adscripti sunt variis Patronatibus quos complectitur sub se Consilium Supremum Investigationum Scientificarum. — PP. Franciscus Peiró

(Tol.) et Antonius de Castro (Arag.) nominati sunt Professores Deontologiae Medicae in Facultate Medicinae Universitatum Matritensis et Barcinonensis.

Conventus Directorum Seminariorum Minorum Societatis. — In Seminariis Minoribus Societatis Provinciae Hispaniae habent plus quam 400 alumnos. Quo eorum selectio et institutio fieret accuratior, omnes Provinciales probaverant ut eorum Directores convenirent qui de communibus difficultatibus, commodis et incommodis conferrent, viamque invenirent talia instituta ad meliorem semper statum evehendi, iuxta votum Societatis. Horum igitur Directores coadunati sunt in Seminario Minori Carrionensi (Leg.). Quaestiones tractandae, tempestive singulis communicatae, propositae, disceptatae ac solutae sunt magna animorum consensione atque amplitudine.

Aragoniae. — Ritu solemnissimo coronata canonice est ab Episcopo Tirasonensi imago B. M. Virginis antiquitate veneranda quae colitur in templo nostrae Domus Probationis Verolensis. Coronam ipsam pulcherrimam pretiosamque auro purissimo et plurimis gemmis (continet enim gemmas 389) perfecit studio artis et amore erga Beatam Virginem impulsus sodalis Congregationis Marianae Barcinonensis. In ea paranda plus quam 700 horas laboris impendit. A S. Rituum Congregatione concessa est Provinciae Aragoniae celebratio liturgica festi B. M. Virginis Verolensis. — Ex benevolentia Supremi Ducis Franco lex lata est qua aedes antiqui nostri Collegii de Montesión, sanctificatae meritis Sancti Alfonsi Rodríguez, quarum magna pars penes Statum erat, nunc totae Ordinario dioeceseos Maioricensis ceduntur, destinandae institutioni religiosae, scientificae, civili iuventutis. Eo fiet ut nostrum hodiernum Collegium, nimis constrictum hucusque loci angustia, commodius vitam scholarem alumnorum instaurare possit.

Baetica. — F. Coadiutor Ludovicus Hurtado, per 40 annos adiutor Directoris Speculae Granatensis in sectione astronomica et meteorologica, proprio marte composuit et edidit librum "El clima de España". Idem Frater invenit confecitque alia instrumenta valde ingeniosa ad dimetiendam et inscribendam pressionem et impetum ventorum. — Ob penuriam sociorum Viceprovincia Aequatoriana coacta est relinquere stationem in provincia civili *Esmeraldas* sitam, quare missio Manabi-Esmeraldensis deinceps nuncupabitur *Missio Manabitana.*

Castellana. — Die 24 ianuarii currentis anni, omnibus sacramentis rite susceptis, pie obiit Bilbai D. Petrus de Icaza et Aguirre, qui Universitatem Commercialem splendide a se fundatam, regendam tradidit Societati. Hac de causa ab A.R.P. Generali insignitus erat titulo *Fundatoris* pro tota Assistentia Hispaniae.

Legionensis. — Die septima martii, divo Thomae sacra, primus lapis, ab Excmo. Episcopo Santanderiensi benedictus, collocatus est novi Collegii pro nostris Theologis, quod iuxta aedes Universitatis Comillensis iam nunc construitur. — 28 Theologi Provinciarum Castellanae et Legionensis sacram ordinationem et primam Missam celebrarunt in Sanctuario Nationali SS. Cordis Vallisoletano, in festo Ascensionis Domini, die 14 maii. Nimirum, his ipsis sacris aedibus, anno 1733 (erat tunc templum nostri Collegii *Sancti Ambrosii*), eademque die 14 maii, in quem incidit etiam eo anno festum Ascensionis, Servus Dei Pater Bernardus F. de Hoyos audierat a SS. Corde Iesu illa celeberrima verba: *"Regnabo in Hispania, et plus quam in aliis partibus honorabor"*.

Pont. Seminarium Universitas Comillensis. — Cum hic annus quinquagesimus sit a condita Universitate Comillensi, mens fuisset hoc anniversarium sollemniter commemorare. Sed, hodiernis in adiunctis et exemplo Summi Pontificis qui suum iubilaeum episcopale intimis tantum ac spiritualibus festis celebratum voluit, etiam sollemnia Comillensia intra similes modestos fines continebuntur. Beatissimus Pius XII Patri Nostro peculiares dedit Litteras Apostolicas die 5 maii, quibus Universitas et fructus inde collecti paterna exsultatione extollit. Sub finem mensis iulii antiqui alumni (e quibus unus est Cardinalis Archiepiscopus Hispalensis, plures alii Episcopi), Comillas convenient per triduum quinquagesimum anniversarium fraterna laetitia et cum gratiarum Deo actionibus commemoraturi. Memoria etiam agetur cum de munificis Fundatoribus Marchionibus a Comillas, tum de magistris et alumnis, qui recenter pro Christo et Ecclesia sanguinem suum fuderunt suoque martyrio nova gloria istud Pontificium Institutum decorarunt.

Lusitana. — Die 28 ianuarii in urbe Portucalensi (Porto) meritae laudes a primis ordinibus civium ex auctoritate tributae sunt memoriae Patris Aloisii Gonzaga Cabral. Patris memoriae conservandae gratia, eius nomen inditum est novae cuidam urbis viae, lapide sic inscripto: *"Rua P. Luis Gonzaga Cabral. — Orador Sagrado* — 1866-1939". — P. Alfonsus Luisier nominatus

est Doctor honoris causa a Facultate Scientiarum Universitatis Portucalensis. — In votis multorum est ut restauretur domum natalis Beati Ioannis de Britto. Amplissimae aedes, quae hodie a 17 incolis habitantur, satis adhuc conservant elementa artis propria saeculi XVII in construendis ac decorandis nobilium palatiis. Die 3 februarii, earum visitationem instituerunt plures delegati Preli Ulyssiponensis et Portucalensis. Postridie in ephemeridibus, data opera, earum reconstructionem propugnarunt. Secretariatus Nationalis Propagationis collectioni *"Herói da Fé e do Império"* librum annumeravit de Beato Ioanne de Britto perbelle scriptum — P. Ioannes R. Mendes tulit praemium dictum *"Antonio Enes"* (2.000 scutorum) pro libro scripto *"Os Três Verbos da Vida"*.

In Sanctuario Dominae Nostrae a *Fátima*, per 8 solidos dies P. Isacius Morán (Leg.) tradidit Exercitia Spiritualia Sancti Ignatii omnibus Lusitaniae Episcopis (22), qui, praeside Emm. Cardinali Patriarcha Olysiponensi et Archiepiscopo Primate Bracarensi, illuc convenerant ad celebranda festa iubilaria XXV anniversarii Apparitionis B. M. V.

Toletana. — In suburbiis Matritensibus commissae sunt Nostris ad tempus duae paroeciae, ad quas pertinent plura millia fidelium, maximam partem pauperum. — Congregatio Mariana Matritensis instituta inter alumnos Collegii vitam agit florentissimam, ut patet legenti *Memoria del curso escolar* 1940-1941. Ad Congregationem admittuntur solummodo qui 15 annos compleverunt. Maxima sodalium pars peragit quotidie per quadrantem horae partem meditationem ad normam Regularum CC. MM. In ultima praemiorum collatione datae sunt alumnis Collegii 62 Excellentiae Honoris: sodales tulerunt 60. Itidem aliae 251 honorificentiae distributae sunt inter alumnos; harum 214 ad manus sodalium devenere. Sic excellunt sodales Mariani inter optimos condiscipulos! — Quinquaginta annorum circulus clausus est ex quo fundatum est Matriti opus *"Apostolatus Preli"*. Quot fructus spirituales hucusque tulerit exprimere homines non valent. Exemplaria librorum et opusculorum, quibus semina boni et veri quaquaversus sparsit, superant plura millia millium. Post victoriam anno 1939 partam, sitis inexplebilis legendi libros ad devotionem et religionem pertinentes hispanos arripuit. Venduntur prae aliis Biblia Sacra, in hispanicam linguam versa a nostro Patre Iosepho Petisco, et Missale latinum hispanicum. Feria 5ª Hebdomadae Sanctae P. Franciscus Peiró pium exercitium Horae Sanctae fecit in sacello Palatii Regii, siti in loco dicto

"El Pardo", prope Matritum. Coram Sanctissimo reposito in capsula, seu sepulcro, ut mos est in Ecclesia illo die, Supremus Dux Franco cum coniuge ac filia, necnon paucissimis Ducibus et officialibus Palatii, ab hora 8ª vespertina ad 9am sacris pietatis exercitiis sese devoverunt. Illius Horae Sanctae celebrationem petierat ipse Franco, qui postea ingentes egit gratias Patri quod suis votis optime satisfecisset. — Ingressum in archidioecesim Toletanam novum Primatem Hispaniae, Nostri Superiores ac moderatores Congregationum non post multos dies salutatum accesserunt. Aderant una commissiones Congregationum Marianarum, compositae e primariis civibus. Placuit vehementer Archiepiscopo cernere Gubernatorem et Praefectum urbis, numisma Congregationis ante pectus ostentantes; et certior breviter factus de florenti vita Congregationis, ait: "Multa sperare licet a Congregatione in qua partem efformant primariae auctoritates urbis, et multa visissim sperare potest civitas cuius supremae auctoritates sunt sodales Mariani". Addiditque inter alias laudes Congregationum Marianarum, bonum catholicum esse posse neminem qui non amet Congrationes Marianas.

In auxilium Viceprovinciae Peruvianae (Prov. Tolet.). — Litteris datis die 30 septembris 1941, Pater Noster significaverat omnibus Patribus Provinciarum Hispaniae quanto in periculo spirituali versarentur nonnullae Americae Meridionalis regiones propter defectum operariorum evangelicorum, quantaque esset voluntas Sanctae Sedis ut illas Nostri generose adiuvarent. Cumque prae caeteris Viceprovincia Peruviana peculiari necessitate premeretur, Pater Noster singulos sacerdotes invitavit ut, si transferri vellent ad illam Viceprovinciam, id vel proprio Provinciali vel sibi ipsi manifestarent. Huic invitationi plurimi Patres responderunt, se paratos atque etiam cupidos profitentes in illam regionem transeundi. Hucusque quinque Patres, e singulis Hispaniae Provinciis a Patre Nostro electi, ad illam Viceprovinciam destinati sunt. Paucos ante menses Provincia Legionensis eo miserat tres Novicios et unum Iuniorem. Eadem Provincia anno 1940 dederat 6 Novicios, inter quos unus sacerdos. Viceprovincia Peruviana, post separationem Boliviae, numerat 28 Patres, 39 Scholasticos, 25 Coadiutores. Respublica Peruviana habet 1.365.054 Km. quadrata et plus quam 6.000.000 incolarum.

ASSISTENTIA ANGLIAE

Australiae. — Paucissimi nuntii perveniunt. P. Ioannes Fahy, olim Praepositus Viceprovinciae, nunc Magister Noviciorum, habet duos Novicios in secundo anno et quinque in primo. — In Collegio Nostrorum Pymblensi constructa est nova contignatio ut recipi possint Scholastici venientes ex Java et Hongkong, studio theologiae operam daturi. Iam tres ex Java et octo ex Hongkong theologiae student cum Scholasticis Australiae.

Provinciae Belgicae. — Domus Probationis Arlunensis (Belg. Mer.) a militibus occupata est; PP. Tertiani ad Domum Probationis Trunciniensem transierunt. — Ineunte anno scholastico incoepta est apud Scholam Apostolicam Turnholtanam sectio quaedam specialis pro aspirantibus ad gradum Fratrum Coadiutorum. Bonis moribus iuvenes, qui studia primaria perfecerunt et vocationem habent ad vitam religiosam, sine animo tamen studia latina peragendi, in Schola commorantur, parentibus ad expensas quantum possunt contribuentibus, et cursus technicos sequuntur simul cum aliquot ex iunioribus Fratribus Coadiutoribus in schola technica civitatis, in qua discunt artem, vel ferrariam, vel electricam, vel lignariam, etc. Multa spes est reposita in hac nova institutione pro Provincia eiusque Missionibus. — *Oostakker.* Ob rerum condiciones oeconomicas et militares, necnon ob difficultates communicationum, numerus peregrinationum ad specum B. M. V. Lapurdensis multum deminutus est. Anno 1939 fuerant 232, anno 1941, 133. Attamen etiam nunc veniunt singulatim multi peregrini. Sunt praeterea aliae peregrinationes quae magnas adducunt multitudines; sic, vg., *peregrinatio pro pace,* duce Exc.mo Episcopo Gandavensi, numerabat 25.000 peregrinos; aliae etiam fuerunt cum 4.000 vel 7.000 peregrinis. (Hoc modo corrigenda sunt quae numero praecedenti pag. 102 erronee dicta erant). — *Foedera SS. Cordis Apostolatus Orationis.* Bellum non impedivit eorum pulchrum apostolatum; immo, inter homines ad arma vocatos erectae erant 325 sectiones speciales. Post occupationem *Foedera* subito in paroeciis consuetum laborem continuarunt. Statistica accurate confecta ostendit in parte flandrica Belgii, inter populationem 4.800.000 incolarum, pertinere ad *Foedera* 330.400 viri, (quorum 16.300 sunt zelatores) et 170.000 mulierum. Folia periodica miro modo florent: *"Maan-*

delijksche Mededeelingen" (Nuntii mensiles) pro zelatoribus et ducibus, decursu duorum annorum creverunt a 8.000 exemplarium ad 13.000. Item "*Bondsblad*" (Folium Foederis) pro membris ordinariis, eodem temporis spatio ascendit a 67.00 exemplarium ad 99.000.

In magna penuria rerum floret mira caritas erga pauperes. In omnibus Collegiis alumni animo generoso dant eleemosynas, vel argento vel mercibus, quandoque etiam mendicando apud ditiores. Hae eleemosynae distribuuntur ab ipsis alumnis sub directione Nostrorum. Etiam Novicii Arlunienses et Truncinienses similes actus caritatis exercent, novo quodam genere experimenti noviciatus, hodiernis adiunctis apprime accommodato; nam bini in varios regionis pagos mendicatum tendunt; res acceptas apud Parochum vel Sorores vel alias personas fiducia dignas deponunt, et in alium pagum pergunt. Alio die alii Novicii res prius collectas ferunt et pauperibus distribuunt. Simili modo Theologi et Philosophi diebus ambulationis ad pagos vicinos mendicatum eunt et accepta dispensant. Ipsa communitas collegii Lovaniensis unaquaque feria tertia 10 kilogrammata panis, ex quantitate non magna sibi concessa, cedit pauperibus.

Canadae Infer. — Periodicus noster gallica linqua scriptus "*Relations*" (cf. Memor. 1941, pag. 102) maximo cum favore exceptus est, habetque iam plus quam 3.000 subnotatorum. Maxima gaudet auctoritate etiam apud protestantes, directores ephemeridum anglicarum et viros praestantes, qui iam pluries scriptores nostros vocaverunt ad res varias discutiendas. — Lex servitii militaris mox omnes iuvenes obligabit. Soli eximuntur tonsurati. — Dies 31 maii fuit centenarius anniversarius reditus Patrum Societatis in regionem Canadensem. Exc.mus DD. Ignatius Bourget, Episcopus Marianopolitanus, ita Societatis addictus ut facultatem eam ingrediendi a Summo Pontifice sollicitaret, instantibus litteris et viva voce a R. P. Roothaan depoposcerat ut Patres Societatis labores missionum et educationis in Canada resumerent. Modestissimis illis initiis a duobus illis Sanctis viris positis (nam etiam Episcopus Bourget magna gaudet sanctitatis fama) quam large benedixerit Deus duae ostendunt florentissimae Provinciae Canadenses inde exortae.

Hiberniae. — Omnia Collegia et ministerio modo consueto pergunt. Fervor fidelium est permagnus; sic v. g. in templo nostro Dublinensi Sancti Francisci Xaverii anno 1941 distributae sunt 460.000 communiones.

ASSISTENTIA AMERICAE

Universitas *"Gonzaga"* Angelopoli in California magna damna subiit ob incendium.

In urbe *Dallas* (Texas), Provincia Neo-Aurelianensis novum Collegium assumpsit, quod hucusque ad dioecesim pertinebat.

Provincia Novae Angliae mox duo Collegia assumet: alterum in urbe *Bridgeport* (Connecticut), alterum in urbe *Portland* (Maine). Hoc ultimum pertinebat hucusque ad dioecesim. — Brooklyniensis Schola Socialis (*The Crown Heights School of Catholic Workmen*). Etiam in his adiunctis difficillimis, haec Schola Socialis vel *Labor School* quae dicitur, abhinc 5 annis a P. Gulielmo Smith (Maryl. N.E.) instituta, magno successu continuatur. Hoc suo primo lustro fructus uberes produxit. Non solum plura millia virorum et feminarum varios cursus frequentarunt, sed fere cotidie sive singulis sive consociationibus consilia et directiones praebentur ad problemata solvenda et decisiones sumendas. Singulis annis circiter 50 oratores, viri magni nominis in scientia sociali, invitati sunt ut varias sectiones nostri operis alloquerentur. Plus quam 50.000 libellorum et opusculorum, necnon fere 500.000 foliorum et litterarum circularium distributa sunt. Parvum nostrum periodicum "Comment" (Commentaria) singulis hebdomadis ad editores foliorum catholicorum mittitur in tota Republica et magnum influxum exercet. Nonnulli articuli de doctrina catholica in re sociali et industriali pertractantes etiam in periodica magni nominis accepti sunt. Directio Scholae Brooklyniensis tum viva voce tum scripto institutionem Scholarum similium in paroeciis promovit. Oratores nostri propagandistae in 200 associationibus eoque amplius verba fecerunt. Nostro consilio adiuti plus quam 50 sacerdotes et laici, variis in locis, Scholas et Circulos sociales instituerunt. Ipse P. Rector Brooklyniensis Collegii multum in hoc opere laborat, docens in Schola Sociali et scribens opuscula de Encyclicis socialibus et de Normis pro Circulis. Ex Centro Brooklyniensi etiam devotio erga Christum Opificem sparsa est inter 315.00 opificum qui Associationi spirituali *"Crusaders of Christ the Worker"* nomen dederunt.

ASSISTENTIA SLAVICA

Bohemiae. — Aedes *Instituti* SS. Cordis Iesu, in quas Pragae confugerat Seminarium Minus Archdioecesanum, e propria sede pulsum, (Cf. *Memorabilia,* 1941, pag. 106), ab auctoritate occupatae sunt. Itaque omnes Nostri et alumni dispersi sunt. Rector nostrae ecclesiae S. Ignatii Pragensis in residentiam Reginae-Hradecensem relegatus est, extra quam ei exire non licet. In Residentia ecclesiae S. Ignatii annexa 11 Scholastici sub ductu duorum Patrum in theologia fundamentali et morali instituuntur; alias materias in scholis Seminarii Archiesiscopalis audiunt; harum examina semestralia magno successu subiere. — Domus Probationis cum adnexo Instituto Philosophico in Benešov, prope Pragam, nosocomio militari destinata est. Novicii, Philosophi et PP. Tertiani in alias domos migraverunt. Templum cum sacristia et uno cubiculo, exstructo muro, a Collegio separata sunt atque ad usum Nostrorum relicta. In eo templo sacra ministeria Nostris continuare licet; omnes campanae ablatae sunt. — In Velehradensi Domo Exercitiorum singulis hebdomadis cursus peragitur. Primo trimestri huius anni sacra Exercitia perfecerunt: viri, 255; iuvenes, 358; mixti iuvenes cum viris, 160; mulieres, 555; puellae, 1.340.

Croatiae. —Dies Mundialis Congregationum Marianarum hoc anno magna cum sollemnitate Zagrabiae habitus est. In nostram Basilicam SS. Cordis Iesu convenere sodales delegati omnium fere Congregationum Marianarum urbis et regionum circumiacentium. Ipse Archiepiscopus Missam celebravit, in qua plurimi ad sacram Synaxim accessere. Post Missam, Exc.mus Antistes, habita allocutione, actum consecrationis B. M. V. legit, cum sodalibus vicibus alternis singula commata pronuntiando. — Cum plures nunc in Croatia conversiones iudaeorum habeantur, Patres Nostri, praesertim Missionarii, in illis instruendis satis temporis et laboris insumunt. Cura et studio unius e Nostris liber compositus est in quo enucleata sunt praecipua capita doctrinae christianae, quae pro convertendis scitu necessaria sunt. — In antiquo nostro Collegio Ragusino, nuper a Gubernio Episcopo oblato, Seminarium dioceseos collocatum est. Interea quidam Pater munere Praefecti spiritus fungitur, nam in votis Episcopus habet ut Nostri totam eius directionem suscipiant.

Ipsius benevolentia aliquot cubicula in Collegio usui Societati concessa sunt, ubi Nostri huius Residentiae commode habitare possint. — In Ecclesia S. Ioseph ad Residentiam Labacensem (Ljubljana) novum altare perpulchre ornatum Ecclesiae Patrono dicatum est. — In Residentia Beogradensi Nostri ministeria sacra magno cum fructu prosequuntur. Paterna Dei Providentia omnia eis necessaria ita subministrat ut etiam aliquali ratione pauperes adiuvare possint. — In urbe Osijek exstructio templi SS. Cordis Iesu progreditur; in hunc finem Caput Status decies centena millia *Kun* (380.000 libell. italic.) elargitus est. — Generatim in omnibus huius Provinciae Domibus Nostri incolumes sunt et magno zelo saluti animarum incumbunt; Gubernium vero susceptos labores apostolicos Nostrorum magno favore prosequitur.

Provinciae Poloniae. — In Noviciatu Staraviesiensi, duabus Provinciis communi, tantum 5 Novicii Coadiutores remanserunt; novos admittere vetitum est. Cum mense ianuario totum quod in Collegio erat frumentum alio esset asportatum, Nostri (fere 160) in tanta egestate versantur ut Superiores coacti sint aliquot Scholasticos ad familias proprias mittere, ut saltem per duos menses aestivos vires reficere possint.

In Residentia Leopolitana Nostri indefesso studio consueta ministeria perficiunt. Tempore quadragesimali 13 cursus Exercitiorum habiti sunt in variis ecclesiis. Confessiones et communiones innumerae sunt. Diebus Dominicis 4 contiones (homiliae vel catecheses) dicuntur. At non licet promovere nostras Congregationes neque earum sessiones dirigere. Fenestrae vitreae templi, figuris et coloribus ornatae, destructae antea et comminutae explosione armorum bellicorum, nuper substituta sunt vitris perlucescentibus. Parva ecclesia contigua Domui Exercitiorum, diebus dominicis et festis multitudinem fidelium continere nequit, ita ut plurimi extra portam adstare debeant. Condiciones materiales sunt perdifficiles; ast Nostris caritas et gratus animus fidelium res vitae necessarias satis suppeditat. Simili ratione vivunt Nostri in Residentiis huius regionis. Peior est condicio Collegiorum: aedes Pontificii Seminarii Dubnensis occupatae sunt; in eius ecclesia sacras functiones peragere Nostris non licet. Collegium alumnorum Chyroviense, iampridem occupatum, destinatum est pro Russis captivis. Vilnae omnes Nostri (50-60) in carcerem coniecti sunt. Domus Exercitiorum in Częstochowa occupata est. Cracoviae maxima pars librorum editorum ab Apostolatu Orationis, et in cuniculo templi SS. Cordis

Iesu depositorum, ablata. Socius Coadiutor Provincialis in carcerem coniectus est Cracoviae. In Residentia Varsaviensi consueta nostra ministeria exercentur, si excipias directionem Congregationum. Tempore quadragesimali plus quam 30 series Exercitiorum datae sunt. Numerus omnium Nostrorum in carceribus vel in campis concentrationis degentium fere 120 adaequat. Plures (60-70) iam ab annis 1939-40 detinentur. Patribus facultas Missam celebrandi et Breviarium recitandi adempta. Omnes qui viribus destituti non sunt ad graves labores perficiendos coguntur. Initio huius anni unus Frater Coadiutor perturbationem mentis passus est et ab aliis separatus; paulo post e vita migravit. Item quidam Pater iuvenis, post diuturnum morbum pulmonum et renum, et duo Scholastici, in Dachau vita functi sunt. Hucusque 18 Socii Provinciarum Poloniae in campis concentrationis mortui sunt. De aliis 8 fere certo tenendum eos vita functos esse, cum, inde a mense octobri 1939 in carcerem missi, nullum vitae signum dederint. Reliqui vero, quamvis physice extenuati, crucem cum patientia sustinent; immo, rarioribus litteris quas iis scribere conceditur, plenos se exhibent supernaturali tranquillitate et firma fiducia in suavissimam Dei Providentiam.

Nostri in dispersione in Russia. De tribus Patribus in Russiam deportatis, qui iam defuncti habebantur, nuntius advenit eos vivere. Eorum unus damnatus erat a Russis ad poenam 10 annorum laboris physici, alius ad poenam capitalem, tertius in carcere detentus et fere in extremis positus: omnes, adveniente pacto Polono-Russico, liberati sunt, et ut cappellani militum Polonorum in Russia degentium sacra ministeria exercent. Duo alii Patres bene laborant cum suis connationalibus coadunatis in meridionali parte Russiae. Aliqui Patres sub occupatione Germanorum, sive in Polonia Orientali sive in Alba Russia, ut parochi vel rectores ecclesiarum cum zelo et fructu laborant.

Viceprov. Romenica. — Bucurestini, die 6 novembris, in festo omnium Sanctorum Societatis, Nostri, qui hucusque in quodam monasterio habitabant, in propriam sedem migravere. Praeter ministeria sacra in ecclesia, non negligitur ministerium preli: iam ab aliquot annis imprimitur folium periodicum pro pueris: *"Raiul Copilor"*, 3.500 exemplaribus, et in votis est aliud periodicum edere pro iuvenibus et familiis. Quidam Pater huius Residentiae, linguae polonicae et germanicae gnarus, aliquot hebdomadas transegit in urbe Odessa, quae sub possessione Romenorum invenitur, Polonos et Germanos in illa degentes in

spiritu iuvando, eosque ad Sacramenta, praesertim Poenitentiae et Eucharistiae, praeparando. P. Stanislaus Skudrzyk, cui commissa est cura Polonorum degentium in Romania, cum a Nuntio didicisset in Bessarabia plura milia hominum, a Russis e Polonia Orientali deportatorum, omni cura spirituali esse destituta, nomine eiusdem Nuntii visitare illas regiones incoepit. Iam duodecim vicos invisit, plus quam 2.000 confessiones excepit, infantes baptizavit, matrimonia benedixit, plurimos aegrotos visitavit et ultimis sacramentis munivit, scholas et catecheses constituit, duas ecclesias a protestantibus relictas benedixit et cultui catholico reddidit, duo centra SS. Cordi Iesu consecravit. Ubique maximo cum gaudio et amore exceptus ab omnibus, maxime a fidelibus ritus latini. — In Residentia Cernautensi, praeter consueta ministeria sacra in templo, Exercitia Spiritualia tempore quadragesimali data sunt; mentione dignus est cursus datus iis qui e schismate in sinum Ecclesiae transire volunt. Alius etiam labor accessit: instructio catechetica pro Iudaeis. Circiter 40 in Ecclesiam admissi sunt; alii in catechumenatu adhuc probantur et instruuntur. P. Superior, qui etiam munere Vicarii Generalis fungitur, visitavit paroecias in Bucovina septentrionali; ea opportunitate sacerdotibus qui in loco constiterant animum et solatium addidit; idem in templis concionibus populum in fide confirmavit. Simili modo P. Vendelinus Javorka (Slov.), olim Rector Collegii Russici in Urbe, nunc autem Residentiae Cernautensi applicatus, excursus apostolicos inter Ruthenos in Bucovina instituit. Ubique magno cum gaudio excipitur. Ante festa Paschalia visitavit septem paroecias propriis pastoribus orbatas, cum fere omnes parochi ritus graeci catholici, instante invasione Russorum, in Germaniam aufugissent.

Viceprov. Slovakiae. — In omnibus huius Viceprovinciae Domibus Nostri, aestimatione fidelium fruentes, labores apostolicos strenue perficiunt non solum in templis nostris, contionando, sed etiam in missionibus pro populo et Exercitiis Spiritualibus in urbibus tradendis. Excelluit cursus Exercitiorum habitus in templo nostro Bratislaviensi sub ductu novi Viceprovincialis, P. Josephi Jurovsky, cui primarii Status viri et altiores officiales adfuere. — In Banská Bystrica, in Collegio Nostrorum Sancti Aloisii, studia theologica perficiunt 13 Scholastici. Consilium est aedificare in hac urbe propriam ecclesiam, cum a Nostris plurimi labores expetantur. — In Ružomberokensi Domo Probationis instituuntur 23 Novicii sub ductu novi Magistri Noviciorum,

P. Rudolphi Mikuš, qui iam ante suum Provincialatum per sex annos hoc munere functus erat.

ASSISTENTIA AMERICAE LATINAE

Argentinensis. — *Primus Congressus Latino-Americanus exalumnorum Societatis.* Sub initiis anni proxime superioris Collegium Monsvideanum complures nostros exalumnos ex omnibus Nationibus Americae Latinae provenientibus congregavit. Voluerant quippe ii dum Societati IV Centenarium celebranti signum publicum dabant memoris ac grati animi, magis intime sese agnoscere mutuo ac iuvare; demonstrare quot exalumni qui dein gloriae ac decori Ecclesiae et Patriae fuerunt ex Collegiis Societatis in universa America Latina prodiissent; conquirere quid sibi agendum in vita privata, familiari, publica, ut fructus institutionis religiosae ac patriae, moralis ac civilis, quam in Collegiis accepissent, viribus unitis, in reliquos cives extenderent. Foederatio Uruguayana, duce D^{0}. Ioachimo Secco Illa, qui onus susceperat actus generales conventionis praeparandi ac moderandi, amplam ordinaverat expositionem librorum ab antiquis alumnis Societatis Americae Latinae scriptorum. Eam in primis visitavit Excmus. Nuntius S. Sedis, necnon ipse Reipublicae Praeses, cuius filius scholas nostri Collegii frequentat. Privatis studiorum sessionibus publicisque sollemnioribus congressibus patuit cum animorum concordia in laudanda institutione accepta, tum vel maxime eorum grata memoria et amor sincerus erga emeritos magistros qui se sibi, familiae, societati, Ecclesiae, patriae tam utiles esse docuerunt. Quo vero fructus Congressus certiores forent, R. P. Thomas Travi, Praep. Prov. Argentinensis, ultima actione disserens, Congressistas excitavit ad promovenda inter exalumnos Exercitia Spiritualia S. Ignatii et Congregationes Marianas, quippe quae tantopere Societati semper cordi fuerunt, et tam apta confirmata sunt etiam nostris temporibus instaurare omnia in Christo. Creata est Confoederatio Associationum exalumnorum nostrorum in tota America Latina, statutumque est ut proximus Congressus haberetur in Brasilia, eo tempore ac loco quem Foederatio Brasiliana eligendum censeret.

Colombiana. — In ephemeride "L'Osservatore Romano", die 27 iunii legimus R. P. Angelum M. Ocampo, Praepositum Pro-

vinciae Colombianae, nominatum esse a Summo Pontifice ad Ecclesiam titularem episcopalem Cynopolitanam de Arcadia, simulque designatum esse Coadiutorem cum futura successione Exc.mi Episcopi Succurrensis et Sancti Aegidii (Socorro y San Gil).

Mexicana. — In numero anteriore "Memorabilium" notabamus mitiores in dies esse condiciones in quibus Nostri Provinciae Mexicanae diversa opera et ministeria evolvunt. Ex alia parte maius in dies capit incrementum Societas, cuius operam in Collegiis, in Residentiis, in Domibus Exercitiorum et in variis ministeriis et laboribus saeculares magni faciunt et continuo expetunt. Sic, non obstantibus magnis diversisque operibus quae Provincia iam habet, et sociorum penuria qua adhunc laborat, in urbe Chihuahuensi, ut morem gereret instanti incolarum desiderio, assumere debuimus directionem Collegii inchoati, quod prospere procedit. Omnesque signa extraordinaria benevolentiae erga Societatem praebent ita ut propriis sumptibus novum aedificium pro Collegio construere velint. — Incolae urbium Leonensis et Saltillensis, in quibus Residentiam habemus, Collegium item Societatis magno affectu expetunt. — Domus Exercitiorum quae erant Residentiis Chihuahuensi et Leonensi additae, sunt omnino restauratae, et magno fructu magnaque frequentia Sacerdotum, iuvenum, virorum, etc. Exercitia ibidem continenter traduntur. Speciali mentione est dignum opus inter studentes cui praeest Pater Torroella, quodque uberrimos affert fructus spirituales ope praesertim Congregationum Marianarum quae inter eos maxime florent. Magnum quoque fructum et influxum exercent cursus speciales religionis et philosophiae iisdem iuvenibus traditi et illi qui habentur pro militibus, quibus non pauci etiam adsunt officiales. — In Residentia Mexicopolitana II templum item est restitutum et singulari fructu et splendore diversa nostra ministeria exercentur; inter haec eminent Exercitia quae iuvenibus et viris traduntur et opus Congregationum Marianarum, quarum vita maius cotidie capit incrementum.

NUNTII DE MISSIONIBUS

Missio Tananarivensis (Tolosanae). — Exc.mus DD. Stephanus Fourcadier, Vicarius Apostolicus Tananarivensis, scripsit mense februario ad S. C. de Propaganda: "Consectaria belli etiam nos experimur. Deest nobis pannus niger; alumni Seminarii vestes gestant tinctas colore *kaki*. Necessitate compulsi, quantitatem materiae hostiarum et particularum ad communionem minuere debuimus. Indigenae difficulter habent quo proprium corpus tegant. Desunt etiam libri, codices ad scribendum, charta. Ephemerides una pagina constantes uno franco venduntur. Sed prae caeteris defectus farinae triticeae nos tenet suspensos pro futuro. Experiendi causa, triticum seminavimus, sed cum haec terra inepta sit ei multiplicando, tantam nobis segetem promittit quantam ad novam seminationem necessariam habemus. Itaque farina omnino carebimus usque ad mensem augusti anni 1943. Mense iunio anni proxime praeteriti ordinavi in sacris sex novos sacerdotes e clero indigena, alium e Societate Iesu; hoc anno alios quinque ordinabo, quorum tres pertinent ad Societatem. — In Seminario Maiore sunt 69 alumni, e quibus 21 sunt Scholastici nostri. In Seminario Minore sunt 91 alumni; in Collegio Sancti Michaelis 183 in sectione europaea.

Missio Betsileensis seu Fianarantsoa (Campaniae). — Haec Missio amisit iuvenem missionarium, Patrem Antionium Ricklin, qui repentino casu nuper periit in Gallia, dum vices gereret cappellani militum ex Madecassia nativorum. Eius frater, missionarius in Vicariatu de Fianarantsoa, opus missionale alacer exercet apud Tanales.

Missio Salisburyensis. (Angl.). — Omnia procedunt de more. Missio accepit septem iuvenes Patres ex Anglia.

Viceprov. Proximi Orientis (Lugd.) — P. Albertus Valensin dedit Exercitia Spiritualia Episcopis Maronitis coadunatis in Residentia Patriarchae, qui primus erat in assistendo expositioni meditationum. — Mense maio P. Claudius Chanteur, Cancellarius Facultatis Medicinae Berytensis, coactus est petere urbem Cairensem. Eius loco suffectus est Cancellarius P. Franciscus Dupré la Tour.

Missio Iraquensis. (N. Angl.). — Durante brevi bello inter exercitum anglicum et iraquensem, Nostri, licet ad hoc invitati, nec regionem reliquerunt, nec in aedes Legationum Americae et Angliae sese receperunt; eo tantum duo Patres adierunt, qui necessitatibus spiritualibus catholicorum ministrarent; ceteri in Collegio remanserunt; scholae tamen continuari non potuerunt. Unus tantum Pater (Melitensis) in campo detentus est, sed paucos post dies, intercedente Exc.mo Delegato Apostolico, Gubernium Iraquense ad Collegium eum remisit. Nec in Bagdad nec in Basrah Nostri nostraeque aedes, Deo favente, ullum damnum ex globulis aereis passi sunt. Bello finito, ad scholas iterum apertas alumni numerosiores quam antea convolarunt. Primariae etiam familiae regionis filios suos Nostris educandos committunt. Anno 1941 alumni erant 180, quorum 61 in primo anno. Convictores erant 41. Ad Religionem Catholicam pertinebant 125. Varii ritus et religiones varium recipiunt numerum alumnorum: ritus chaldaeus, 56; syriacus, 36; latinus, 20; graecus, 2; armenus, 11; Nestoriani sunt 2; protestantes, 2; armeni orthodoxi, 14; mahometani, 27; hebraei, 10. In schola primaria et convictu Basrah sunt 100 alumni. Missio laborat magna hominum penuria. Aliquot Scholastici ad Theologiam missi sunt (2 ad Kurseong, 1 ad Weston). Hoc anno 4 deberent theologiae studium incipere, sed novi missionarii advenire non possunt. Interim ii qui ad hanc Missionem destinati sunt, in Provincia studio linguae arabicae operam dant.

Missiones Indicae. — Iam ab initio huius belli aliqui missionarii, etiam ex Nostris, in *campo concentrationis* qui dicitur vivunt. R. P. Moyersoen, Superior Missionis Calcuttensis et Visitator omnium nostrarum Missionum in India, varios campos adire potuit mense maio nuper elapso, et refert omnes Nostros ibi optime se habere. Ineunte autem hoc anno, multo plures, natione germani vel itali, ab auctoritatibus militaribus coadunati sunt in certas quasdam regiones, quas non relicturos esse promittere debebant, (s. d. parol-camp). Etiam nonnulli e Nostris mense februario in regionem pagi Kodaikanal prope Shembaganur (in Viceprov. Madurensi) translati sunt, ubi aliis missionariis permixti, vivunt in parvis domibus seu villis, parum inter sese distantibus. Pensionem mensilem ad omnia victui necessaria acquirenda et sibi paranda a gubernio accipiunt. Ceteroquin congrua libertate fruuntur, ita ut cotidie Missam celebrare et aliis pietatis exercitiis, studioque privato, vacare commode possint; dolent solummodo boni nostri missionarii Missiones

sibi commissas esse derelictas, seseque in otio vivere cum tam late pateat campus laborum paratissimus pro infidelium conversione. Nuperrime certiores facti sumus novem e Nostris e Mangalorensi Missione transire potuisse in Domum nostram Kodaikanalensem, et tres alios mox secuturos esse. Seminarium Mangalorense, e quo omnes fere Nostri proficisci debuerunt, in labore suo pergit, pro scholis linguae latinae adiutorio utens duorum Patrum indigenarum Tertii Ordinis Carmelitani.

Associatio Missionaria Supremi Ordinis Militaris Melitensis dono misit cuidam nosocomio dioecesis Calicutensis subsidium pecuniarium minime spernendum. Pater Noster, litteris datis Magno Ordinis Magistro, ei gratias ex animo egit de hoc humanitatis et liberalitatis testimonio dato nostrae Missioni.

Constructio Collegii Theologici ad *Poona* bene progreditur; speratur fore ut ineunte anno scholastico 1942-43 illuc Theologi transferri possint.

In Missione *Bombayensi* (Arag.) initium habuit Noviciatus mense aprili ineunte. In hac nova Domo Probationis in Andheri sunt 11 Iuniores et 8 Novicii. Domus vero Probationis Hazaribaghensis in Missione *Ranchensi* (Belg. Sept.), in qua Iuniores et Novicii Bombayenses hucusque formabantur, die 20 iunii 15 novos Novicios Scholasticos recepit: 5 e Missione Ranchensi, 5 e Missione Calcuttensi et 4 e Missione Patnensi.

In Missione *Calcuttensi* (Belg. Mer.) Nostri incoeperunt edere novum periodicum pro clero, qui optime a sacerdotibus acceptus est. In Collegio Theologico Kurseongensi 4 e Nostris quintum annum Theologiae perfecerunt et Lauream in Theologia assecuti sunt.

Efformatus est in Viceprovincia *Madurensi* (Tolos.) novus Districtus, cuius Superior nominatus est P. Iosephus Kueny. — In Collegiis Trichinopolitano et Madrassensi ita crescit numerus alumnorum, ut debuerint aedes amplificari ad illos recipiendos. — Collegium Salemense, abhinc quinque annos fundatum, habet 800 alumnos.

Exc.mus DD. Vedastus Robichez, Episcopus Trincomaliensis (Ceylon), hoc anno commemorat 25.um anniversarium suae consecrationis episcopalis. — Nostri degentes in hac Missione *Trincomaliensi* nihil hucusque passi sunt ex incursionibus aereis.

Missio *Goana* (Lusit.) alteram incepit stationem missionariam *ad paganos*. Patriarcha Indiarum Orientalium, EE. DD. Iosephus da Costa Nunes, qui suam residentiam habet Novae Goae, talibus stationibus missionalibus multum favet, et clerum suum indi-

genam exhortatus est ut ad laborandum pro conversione paganorum sponte se offerret.

Exhibitio Corporis S. Francisci Xaverii. — Omnium Nostrum sine dubio interest aliquid audire de Venerabili Reliquia corporis S. Francisci Xaverii, quae in templo "Bom Jesus", ecclesia antiquae nostrae Domus Professae Goanae, asservatur. Ut notum est, singulis fere decenniis publicae venerationi exponitur; quare ab ultima exhibitione (1) decennio iam elapso, hoc anno iterum venerationi fidelium sacrum illud corpus exhibitum est. R. P. Visitator I. B. Moyersoen, qui diebus 12 et 13 maii nuper elapsi Missae Sacrificium coram corpore in media ecclesia exposito celebravit, et etiam postea iteratis vicibus Reliquiam examinare et tangere potuit, refert corpus in bono statu etiam nunc versari. Pedes et saltem pars inferior crurium attactu lenes apparent. Etiam manus sinistra (2) bene conservata est. Caput vero et vultus multum deteriora facta sunt, atque pulvere quasi terra subrubea conspersa videntur. Numerus peregrinorum multo minor erat hoc anno quam in exhibitionibus praecedentibus, quod ex condicionibus belli facile intellegitur. Quare hac vice permitti potuit ut fideles ipsos pedes Sancti oscularentur. Die 13 maii facta est in Pangin (seu Goa nova) supplicatio vespertina cum candelis accensis ad commemorandum XXVm anniversarium apparitionis B. M. V. in Fatima; concludebatur in platea ante Residentiam Archiepiscopalem concione ab ipso Exc.mo Patriarcha habita et Benedictione cum Sacra Hostia.

Missio Sienhsien (Campaniae). — Occasione caedis aliquot militum factae a communistis intra praedium nostrae villae rusticanae, quotquot eo tempore in ea inveniebantur in carcerem coniecti sunt. Per tres dies Residentia, Collegium et Seminarium accuratissimae perquisitioni subiecta sunt. Praeterea, omnes religiosi et religiosae sinenses civitatis Sienhsien necnon professores et aliquot alumni, praeeunte Excmo. DD. Tchao, Vicario Apostolico, in villam translati sunt et multis investigationibus subacti, Communitas Nostrorum Sienhsienensis omnino interclusa est. Et quoniam tunc temporis in ea civitate commorabantur fere omnes missionarii qui illuc convenerant ferias aestivas

---

(1) Die 6 ianuarii anni 1933 facta est exhibitio privata, speciali facultate ab Ipso Summo Pontifice obtenta, ut P. Ioannes Van Spreeken (Tolos) imagines photographicas et pelliculas cinematographicas commode facere posset.

(2) Manus et brachium dextrum, ut notum est, Romae in nostro templo SS.mi Nomini Jesu magna veneratione asservantur.

agendi gratia, interim tota eorum opera interrupta est. Haec scribebantur die 29 septembris. Abhinc nuntium nullum accepimus ex Missione.

Missio Suchow (Can. Inf.). — Missionarii nostri ab auctoritatibus occupantibus coadunati sunt quaterni vel quini in civitates praecipuas regionis, inter quarum muros libere se movere et operari possunt quin tamen liceat iis inde egredi. Pauci sacerdotes sinenses Christianorum curam assumpserunt in nonnullis pagis, sed in plerisque manet tantum Catechista qui nomine Missionarii fideles in precibus publicis recitandis praeit. Scholae pleraeque continuantur, quamvis desit pecunia qua magistrorum pensiones solvantur. In ipsis urbibus Nostri stenue laborant, ibique Catechumenatus florent. Collegium in urbe Süchow, pro circiter 200 alumnis institutum, numerat nunc 677. Simile quid dicendum est de Collegio et Schola Normali in Tangshan. Aliqui Missionarii tempore huius quietis coactae utuntur ad linguam melius addiscendam. Omnes magno animo sunt.

De sorte Fr. Schol. Iosephi Bégin (Can. Inf.) qui mense novembri a Shanghai profectus Indias Orientales versus ut in Kurseongensi Collegio Theologiam inciperet, incerti sumus. In Kurseong non pervenit; ultimi eius nuntii sunt diei 5 decembris 1941 ex Hongkong, unde profectus est Manilam. Ubinam nunc sit nescitur.

Missio Hongkong (Hib.). — Mense novembri anni 1941 Seminarium Regionale commemoravit decennium suae fundationis. Hoc temporis lapsu 50 alumni dignitate sacerdotali decorati sunt, quorum 20 in eius aulis totum cursum philosophiae et theologiae perfecerunt. Exc.mus DD. Valtorta, Vicarius Apostolicus Hongkongensis operam optimorum professorum laudavit. — Adsunt in Seminario 66 alumni e variis Vicariatibus Sinae meridionalis.

Iuxta ultimos nuntios de anno praeterito receptos, numerus conversionum inter alumnos nostri Collegii progrediebatur. — Decursu anni 1941 Nostri moderationem susceperunt cuiusdam scholae filialis Collegii Wah Yan, sitae ad Kowloon contra insulam Hongkong. Incepta erat sub directione cuiusdam laici; tunc autem eo in loco degebant 2 Patres, unus Scholasticus, aliquot professores laici. Gubernium subsidia praebebat ut pro Collegio Wah Yah. Accepti sunt 150 alumni; alii 200, deficiente loco, reici debuerunt.

Mense ianuario S. C. de Propaganda Fide a Delegato Apostolico Iaponiae nuntium accepit omnes Missionarios incolumes

esse. Novissime ad nos pervenit nuntius e Iaponia mense aprili datus, certiores nos faciens omnes Nostros in Hongkong bene valere, sed aedes nostras tanta damna passas esse ut scholae continuari non possent. Quando, aedibus reparatis, scholae iterum aperientur studium linguae Iaponicae in quibusdam scholis erit obligatorium; quare Superior Missionis unum alterumve e Nostris huius linguae gnarum e Missione Iaponica rogavit.

Missio Iaponica (Germ. Inf.). — Unicus nuntius illinc acceptus dicit omnes Nostros bene valere et opera sua continuare. In ephemeridibus legimus quosdam Patres Universitatis Catholicae esse reclusos, posse tamen quotidie Missam celebrare.

Missio Philippina (Maryl.-N. E.). — Exeunte mense martio nuntiatum est nobis ex insula Mindanao omnes Nostros in insula salvos esse. Scholastici adunati sunt in montibus Sumilao. Manilae omnes incolumes inclusi sunt in aedibus Athenaei nostri.

Missio Bataviae (Neerl.). — Ex hac Missione, praeter nuntium, ineunte ianuario datum, necopinatae mortis P. Leonardi Sondaal, paroci in Magelang, et gravis aegritudinis P. Gerardi Schmedding, Magistri Novitiorum, nihil hoc anno accepimus, ita ut de sorte personarum et operum nihil referendum habeamus.

NECROLOGIA

P. Hermannus Van Laak (Germ. Inf.) pie in Domino decessit Romae die prima decembris 1941, sacris omnibus rite munitus et peculiari Summi Pontificis benedictione in extremis recreatus. Natus erat die 23 augusti 1866 in Rheimberg (Germania), Societatem ingressus erat die 1 octobris 1883. Peractis in patria studiis philosophicis ac theologicis, anno 1900 Romam a Superioribus accitus est ut in Universitate Gregoriana theologiam fundamentalem doceret. Ab eo anno, excepto triennio bellico 1915-1918, Urbem et Universitatem numquam reliquit. Laboris mire patiens atque indefessus, in veritate indaganda constantissimus, in eaque docenda ac explicanda fidelis atque perspicuus, sibi auditorum animos adeo conciliavit ut complures, etiam perfectis studiis et in ecclesiasticis dignitatibus constituti, eum consiliorum arbitrum habuerint. Libri ab eo editi eius solidam doctrinam, et ingentem eruditionem, ad eviden-

tiam manifestant: quamquam ipse, suis operibus nunquam satis contentus, iis perficiendis et perpoliendis semper manus admovebat. Optimo Patri maxime corde fuit promovere Causas Canonizationis Servorum Dei qui in Societate floruerunt; videre sufficiat quanta cura ad historiae fidem examinaverit ac disposuerit quae pertinent ad acta Sancti Roberti Bellarmini Doctoris Ecclesiae renuntiandi in volumine circa hoc argumentum ab eo edito. Sed sua doctrina, multiplici et profunda, haud maiorem quam suis virtutibus sibi apud omnes laudem comparavit. Vir fuit simplex ac timens Deum, rectus, sincerus, orationis amans, fraterna caritate insignis, ad nostras regulas adamussim compositus. Ultimis vitae suae annis, multi ad illum adibant sive ex Nostris sive ex externis, de rebus conscientiae tractatum.

Nuntius necopinatae mortis **P. Iosephi de Guibert** (Tolos.), die 23 martii, animos Nostrorum vehementer commovit. In ipso pervigilio sui caelestis Patroni, sub vesperum, exhortationem domesticam habuit ad Patres et Fratres Universitatis Gregorianae; sed ea ipsa nocte correptus est lethali aegritudine, quae illum paucorum dierum spatio, incassum arte et industria medicorum obnitente, ad sepulcrum erat deductura.

Natus erat Montaigu (Hte-Garonne), in Gallia, die 14 septembris 1877, et ingressus Societatem in Villa Sanctae Mariae (Tolosa) die 19 octobris 1894.

Insumptis aliquot annis in docenda theologia in Collegio Maximo Angiensi, anno 1920 edere coepit Tolosae commentaria periodica quibus titulus: *Revue d'Ascétique et de Mystique*; deinde, aliis adiuvantibus, auspicatus est atque moderatus *Dictionnaire de Spiritualité*. Anno 1922 Romam venit ut in Universitate Gregoriana sacras disciplinas alumnis explicaret, quo munere ad ultimos usque vitae dies cum summa laude functus est. Per quatuor annos fuit Praefectus Studiorum pro Biennistis. Sed cum ad theologiam asceticam et mysticam esset egregia indole ac doctrina ornatus, ad eam prae caeteris excolendam ac docendam adhibitus est. Inter varia opera prelo ab eo commissa, eminent: *Theologia spiritualis ascetica et mystica, Ecclesiastica documenta perfectionis christianae studium spectantia, De Christi Ecclesia, Breves adnotationes in cursum methodologiae generalis,* quibus connumerandi sunt plurimi articuli, gallico idiomate scripti, quos collectos legere licet in suo libro *Etudes de théologie mystique*. Extant praeterea nonnulli de re ascetica et mystica commentarii inediti, quibus perpoliendis toto animo in-

cumbebat, quique ad communem multorum utilitatem, ut speramus, mox in lucem prodibunt.

Historiam vitae spiritualis christianae apprime cognoscebat, ut pauci hac in re eum aequarent. In sacra Rituum Congregatione, ad cuius venerabilem Consultorum coetum pertinebat, magni aestimabatur.

P. de Guibert et erat et habebatur ab omnibus qui illum agnoscebant vir aeque sanctus ac doctus. In eo praeclarae mentis dotes coniunctae erant singulari comitate atque in colloquendo affabilitate, quae, ut erant natae ex interna animi bonitate et caritate, multorum animos sibi conciliavit Deoque devinxit arctius, praesertim eorum qui religiosam perfectionem sectantur, quibus ille per conscientiae moderamen ac per Exercitia Spiritualia sacrosque recessus, ducem ac solatium spirituale nunquam non attulit. Moderatione quoque et prudentia semper enituit. Familiae religiosae bene multae litteras Rectori Universitatis dederunt eius mortem condolentes et suffragia promittentes pro anima carissimi sibi Patris.

P. Arthurus Codina (Arag.) obdormivit in osculo Domini die 11 novembris 1941 paulo ante horam 10 matutinam. Natus erat in pago Palafrugell, Provinciae Gerundensis, in Hispania die 11 octobris 1867; ingressus Societatem 28 martii 1885. Plures annos insumpsit docendo Nostros Rhetoricam in Collegio Verolensi, quod dein Rector gubernavit. Anno 1915 adscriptus est Operi "*Monumenta Historica Societatis Iesu*", quod aliquandiu moderator, semper vero assiduus ac indefessus editor per 26 continuos annos promovit ac propagavit. Praetermissis aliis libris ac compluribus articulis, duo praesertim exstant monumenta laboris ac diligentiae Patris, quae eius memoriam haud facile excidere sinent e mentibus praesertim filiorum Societatis: *Exercitia Spiritualia* Sancti Parentis Ignatii et *Constitutiones Societatis* ad normas criticae historicae adornata et edita. Quae ille opera ex oboedientia sibi commissa amore filiali et animo indefesso alacer perfecit; dignissima profecto quae a Patribus ultimae Congregationis Generalis cumulatis laudibus nominarentur. Ultimis his vitae suae annis intentus erat parandae editioni criticae Regularum Societatis. Plures egregiae virtutes Patrem Codina commendabant: fidelis disciplinae religiosae observantia, amor paupertatis, laboris, caritatis fraternae, quam ille ut pupillam oculi diligebat, filialis pietas erga Sanctum Parentem Ignatium et Matrem Societatem. Mortem approprinquantem, non ut invisam hospitem, sed ut a Deo missam et iamdiu exspecta-

tam sereno animo recepit. Duobus annis antequam moreretur, scriptum reliquerat Patri Assistenti Hispaniae, quo utebatur moderatore suae conscientiae, qua ratione iuvari in spiritu vellet a primo momento cogniti a medico periculi mortis. Ultima hora suae in terra commorationis, omnia acta sunt prout ille statuerat, ut diceres mortem ipsam sibi obsequentem habuisse. Sacramentis rite susceptis, recitatisque precibus quas ipse ad hoc scripserat, ac crucifixo bis osculum defigens, placidissime obdormivit in Domino.

NOVI SUPERIORES MAIORES

R. Raphael Bitetti (Rom.) nominatus est Visitator Provinciae Neapolitanae.

Praepositi Provinciarum et Viceprovinciarum.

Austriae: R. P Ioannes Beck.
Germaniae Inferioris: R. P. Gulielmus Flosdorf.
Germaniae Orientalis: R. P. Bernardus Hapig.
Hungariae: R. P. Paulus Napholcz.
Neerlandicae: R. P. Cornelius Kerremans.
Oregoniensis: R. P. Leopoldus R. Robinson.

Superiores Missionum.

Ranchensis (Belg. Sept.) : R. P. Henricus De Jonghe.
Sienhsien (Camp.) : R. P. Renatus Charvet.

VITA FUNCTI

A die 1 octobris 1941 ad diem 30 iunii 1942.

Romana: 19 mart. C. Sanctes Papini (71/39) Roma; 27 apr. P. Albertus Dalla (72/36) Firenze.

Neapolitana: 13 febr. P. Camillus D'Elia (66/50) Napoli; 30 maii C. Raphaël Facilli (87/60) Napoli; 15 iun. C. Ioannes B. D'Angelo (62/38) Napoli.

Sicula: 16 nov. P. Rosarius Ferrara (78/62) Bagheria; 9 febr. P. Franciscus Mirenna (87/72) Tinos; 6 mart. P. Calogerus Schilirò (58/42) Cesaró.

Taurinensis: 2 oct. P. Ioannes Pastorino (70/52) Genova; 12 nov. P. Hilarius Rinieri (89/71) Cuneo; 26 nov. P. Petrus Freccero (67/47) Cuneo; 26 nov. C. Iosephus Piovano (65/50) Volterra; 30 nov. P. Albertus Filippi (62/43) Genova; 14 ian. P. Valericus Filippa (66/49) Brescia; 28 febr. N. S. Honorius Costa (24/2) Cuneo; 2 apr. P. Antonius Bozzola (76/42) Cuneo; 17 iun. P. Amedeus Cassinis (64/64) Torino.

Veneto-Mediol.: 17 nov. P. Dantes Cinti (73/57) Triuggio; 3 ian. C. Bartholomaeus Prudenza (74/48) Gallarate; 6 ian. P. Iosephus Farina (67/37) Bergamo; 4 iun. P. Abraham Makil (42/10) Calicut.

Austria: 5 oct. P. Iosephus Lachmair (64/45) St. Georgen; 14 oct. S. Carolus Priessler (28/6) *in bello*; 2 nov. P. Iosephus Müller (79/61) Innsbruck; 18 nov. P. Ioannes Gottstein (67/47) Linz; 26 dec. P. Otto Pohley (55/35) Cuglieri; 3 apr. P. Iosephus Pinsker (35/15) *in bello*; 12 apr. C. Ioannes Putigan (89/61) S. Andrä; 6 maii C. Iosephus Dietmeier (79/53) Linz; 22 maii C. Franciscus Jölli (33/8) *in bello;* 24 iun. P. Franciscus Frey (75/50) Kalksburg.

Germaniae Inf.: 9 oct. P. Henricus Schmitz (57/37) Rintelen; 10 oct. S. Franciscus Xav. Hubaleck (26/4) *in bello;* 16 oct. S. Gerardus Gross (28/9) *in bello*; ? nov. S. Carolus Mathieu (30/11) *in bello*; 1 dec. P. Hermannus van Laak (76/59) Roma; 1 dec. P. Franciscus Xav. Hilgers (78/58) Ramersdorf; 6 dec. P. Hardwicus Schilgen (66/47) Münster; 8 ian. S. Carolus Köhring (27/8) *in bello;* 30 ian. P. Corradus Kirch (79/58) Königswinter; 7 mart. P. Bernardus Jansen (65/49) Hochheim; 25 mart. P. Henricus Bruders (73/50) Osnabrück; 12 apr. P. Gulielmus Vosskühler (81/54) Darfeld; 2 maii P. Augustinus Braun (65/31) Fulda; 15 maii C. Ioannes B. Krechel (79/49) Chishawasha; 22 iun. C. Fridericus Hannappel (62/45) Frankfurt; 28 iun. S. Ioachim Borkert (21/4) *in bello.*

Germaniae Orient.: 4 oct. S. Reinholdus Blach (26/5) *in bello;* 4 ian. S. Corradus Richter (28/9) *in bello;* 21 febr. S. Stephanus Salanczyk (28/7) *in bello;* ? mart. P. Iosephus Kartte (70/52) Frankenstein; 9 maii P. Leo Behlau (39/19) *in bello.*

Germaniae Sup.: 13 oct. P. Ioannes B. Springer (81/63) Pullach; 8 nov. S. Ludovicus Math (26/6) *in bello*; 2 dec. P. Hugo Aman (65/45) Stuttgart; 21 ian. P. Thomas Eichenseer (30/9) *in bello;* 2 febr. P. Iosephus Schorer (81/62) Pullach; 3 febr. C. Rodolphus Schneider (43/14) Tisis; 13 febr. S. Sebastianus Besenrieder (24/4) *in bello*; 20 febr. P. Christianus Malin (65/45) Salisbury; 28 mart. S. Alvinus Zirn (30/10) *in bello;* 21 maii P. Maximilianus Maier (62/44) Poona; 11 iun. C. Alphonsus Haderer (34/10) *in bello.*

Hungariae: 29 mart. C. Ignatius Gergely (73/50) Kalocsa.

Neerlandica: 29 dec. P. Leonardus Sondaal (75/54) Maggelang.

Campaniae: 18 oct. P. Iosephus Desmarquet (82/63) Quimper; ? dec. P. Gustavus Humbert (71/49) Fressenneville; 28 dec. P. Andreas Heymès (78/61) Fressenneville; 9 ian. P. Antonius Ricklin (37/19 Fréjus; ? ? C. Desideratus Moulin (79/59) Fressenneville; ? ? P. Iosephus Heue (36/6) in Sinis; ? ? S. Andreas Fong (34/14) in Sinis; ? ? P. Elias Hopsomer (77/58) in Sinis; 12 maii P. Adrianus Pajot (56/38) Nantes; ? ? P. Aloisius Burietz (59/24) in Sinis.

Franciae: 10 nov. P. Renatus Desnos (80/53) in Sinis; 12 dec. P. Carolus de Broglie (68/49) Paris; ? dec. C. Augustus Ménard (81/54) Nantes; ? dec. P. Aloisius Laurand (69/51) Laval; 18 dec. P. Ioannes de Balincourt (81/64) Nantes; 22 ian. P. Mauritius Potron (70/49) Vannes; 23 ian. P. Amatus Bitot (85/63) Brest; 25 ian. P. Iosephus de Broglie (81/62) Paris; 7 febr. P. Iosephus Mahé (74/52) Paris; 14 febr. P. Paulus Grosjean (78/58) Nantes; ? ? P. Achilles Durand (71/48) in Sinis; ? ? P. Renatus Lecointre (71/52) in Sinis; 14 mart. P. Guesnovaeus Henry (82/56) Quimper; 30 mart. P. Iosephus Daniel (66/48) Jersey; 21 maii P. Henricus Vaillant (68/38) Issoudun; 30 iun. P. Ioannes Vittrant (50/33) Paris; ? ? S. Ioannes Yang (27/4) in Sinis; ? ? N. S. Thomas Ou (23/2) in Sinis.

Lugdunensis: 28 sept. C. Theophilus Fèvre (73/49) Mongré; 2 dec. P. Adrianus Babey (77/51) Le Caire; 11 dec. P. Iosephus Ferchat (78/57) Marseille; 17 dec. P. Raimundus Alezais (82/64) Lyon; 21 ian. P. Gabriel Lebon (79/58) Beyrouth; 27 ian. C. Augustinus Vallon (88/50) Mongré; 1 febr. P. Gilbertus Billaud (79/54) Mongré; 7 mart. P. Andreas Valancogne (37/20) Homs; 10 mart. P. Carolus Eddé (73/51) Zahlé; 20 mart. P. Carolus de Maillardoz (85/67) Aix-les-Bains; 20 apr. P. Ioannes Descostes (58/39) Besançon.

Tolosana: 7 iun. 1941 N. C. Franciscus de P. Ramanandimbison (28/2) Tananarive; 4 oct. C. Thomas Artèche (46/30) Toulouse; 1 nov. P. Iosephus Souilhé (59/41) Vals; 2 dec. C. Iosephus Tranier (80/53) Mons; 11 ian. P. Hieronymus Steenkiste (58/39) Trichinopoly; 31 ian. C. Dominicus Razafindrazaka (30/5) Tananarive; 13 febr. C. Petrus Mélet (83/57) Vals; 20 mart. P. Antonius Malvy (65/47) Montrédon; 23 mart. P. Iosephus de Guibert (65/48) Roma; 7 apr. P. Marcellinus Patuel (72/57) Toulouse; 25 apr. C. Franciscus Gaillard (98/66) Toulouse; 4 maii P. Ioannes M. Grangette (70/51) Tananarive; 11 maii P. Petrus Garnier (72/50) Kodaikanal; 19 maii S. Michael Amirtham (31/10) Kurseong; 23 iun. P. Carolus Ceyrac (73/47) in Viceprov. Madurensi.

Aragoniae: 2 oct. C. Raphaël Penalba (81/56) Sarriá; 20 oct. P. Michael Cerdá (70/56) São Paulo; 11 nov. P. Arthurus Codina (75/57) Roma; 14 dec. P. Ignatius Torra (71/46) Barcelona; 2 ian. P. Ioachimus Pericas (74/35) Barcelona; 10 febr. P. Ioannes Comellas (79/54) Veruela; 21 apr. P. Marianus Mayor (78/63) Zaragoza; 28 iun. P. Justus Mingarro (71/57) Zaragoza.

Baetica: ? dec. C. Fridericus Mejía (80/62) Riobamba; 9 febr. S. Didacus Camerlink (65/47) Málaga; 12 mart. S. Nicolaus Alcalà-Galiano (79/49) Málaga; ? iun. C. Michaël Mendizábal (83/63) Puerto de Santa María.

Castellana: 14 oct. P. Bonaventura Recalde (79/59) Bilbao; 24 oct. P. Ianuarius Llona (63/48) Oña; 2 dec. P. Iosephus Aguirre-Ceciaga (49/33) Habana; 5 dec. C. Franciscus Villar Beloqui (23/6) Oña; 24 dec. C. Matthias Zarranz (83/54) Bilbao; 12 ian. P. Iosephus Maria Estefanía (53/35) S. Salvador; 17 feb. C. Iulianus Goñi)71/51) Bilbao; 19 feb. P. Iuvencius Jorge (72ff53) Las Palmas; 10 apr. P. Raphael Parra (61/34) Pamplona; 25 apr. P. Cae-

sareus Ibero (78/62) Bilbao; 19 maii C. Ignatius Maria Albizu (68/43) Oña; 20 maii P. Ignatius Maria Ibero (84/70) Loyola; 14 iun. C. Ignatius Landa (87/67) Aranjuez.

Legionensis: 5 dec. C. Alexander Larrañaga (48/29) Pontevedra; 9 dec. P. Iosephus M. Tomillo (37/21) Gijón; 20 ian. C. Cyriacus Hidalgo (62/21) Valladolid; 6 febr. C. Arthurus Cajajl (68/49) Palencia; 5 mart. P. Emmanuel Gómez Prieto (74/55) San Sebastián; 20 apr. C. Ioannes B. Sarasola (64/46) La Guardia.

Lusitana: 26 nov. C. Emmanuel Cardoso (34/14) Covilhã; 27 dec. P. Ioannes Barret (83/63) Caldas da Saúde; 24 ian. C. Iosephus Simão (64/42) Belgaum; 13 febr. P. Ioannes Lucas (74/58) Macao; 27 apr. P. Ioannes Nazareth (82/66) Georgetown.

Toletana: ? oct. C. Valentinus Pagán (67/43) Lima; ? febr. P. Iosephus M. Balboa (80/64) Arequipa; ? apr. P. Emmanuel Fernández (91/63) Aranjuez; 12 maii C. Paulus Zugasti (53/31) Chamartín de la Rosa.

Angliae: 9 nov. P. Gulielmus Bartley (72/52) Glasgow; 25 nov. P. Richardus Hart (81/64) Tremeirchion; 18 dec. P. Reginaldus Middleton (72/50) Oxford; 25 ian. P. Cyrillus Kilroe (41/19) Grahamstown; 21 febr. P. Franciscus Lacy (68/50) Richmond; 25 febr. P. Robertus Dalrymple (73/52) London; 7 mart. P. Arthurus Collingwood (75/57) Rugby; 7 mart. P. Gulielmus Gough (67/38) Accrington; 6 apr. P. Ioannes Ratcliffe (78/58) London; 5 iun. P. Carolus Newdigate (80/61) Heythrop; 12 iun. P. Georgius Sexton (67/39) London.

Australiae: 23 nov. P. Iosephus Hearn (88/64) Melbourne; 20 iun. P. Thomas Gartlan (90/72) Sydney.

Belgica Merid.: 13 dec. P. Ioannes Charles (64/47) Bruxelles; 16 dec. P. Augustus De Villers (80/64) Louvain; 2 ian. P. Clemens Bretaudeau (80/64) Ranchi; 31 ian. S. Stephanus Verwilghen (24/5) Namur; 7 febr. P. Albertus Fabri (68/52) Arlon; 5 mart. P. Iosephus Devillé (51/29) Hauteville; 3 maii P. Aemilius Capelle (76/56) Mons; 8 apr. P. Leonardus Navez (52/32) Ranchi; 9 iun. P. Iacobus Magnée (39/20) *Dachau*; 24 iun. P. Andreas Heidet (87/66) Verviers; 31 maii P. Adelinus Grignard (57/49) Ranchi.

Belgica Sept.: 9 dec. P. Ludovicus Andries (40/21) Ranchi; 7 ian. P. Ferdinandus Peeters (70/52) Antwerpen; 11 febr. P. Cornelius De Coster (83/63) Gent; 8 mart. C. Ludovicus Verstraten (84/49) Drongen; 12 mart. P. Augustinus De Bruyn (77/57) Antwerpen; 11 maii P. Remigius d'Heere (63/43) Turnhout; 9 iun. P. Henricus Diller (47/26) Ranchi; 22 iun. P. Stanislaus Van Haaren (66/45) Ranchi; 24 iun. P. Paulus Herman (49/30) Namur.

Canadae Inf.: 20 oct. P. Leonidas Hudon (79/61) Montreal.

Hiberniae: 1 febr. C. Patritius Murray (65/25) Clongowes; ? mart. P. Martinus Maher (81/63) Dublin; ? ? P. Patricius Barrett (77/59) Dublin.

Chicagiensis: 30 dec. P. Franciscus Haggeney (76/57) Milfort.

Marylandiae-Neo Ebor.: 22 oct. P. Iacobus Dawson (80/60) Philadelphia; 25 oct. P. Iacobus Cahill (63/46) New York; 6 nov. P. Patricius Casey (81/67) New York.

Missouriana: 2 oct. P. Alfredus Kaufmann (63/45) Omaha; 31 oct. P. Eduardus Hart (59/39) Prairie du Chien; 12 nov. C. Franciscus Wells (74/48) Saint Mary's.

Neo Aurelianensis: 4 nov. P. Ioannes Stritch (68/53) New Orleans; ? ian. P. Ioannes Foulkes (75/55) New Orleans.

Novae Angliae: 4 nov. C. Ioannes Earls (66/12) Baltimore; ? ? P. Franciscus Xav. Downey (55/36) Boston.

Bohemiae: 26 oct. N. S. Stanislaus Motáček (22/1) Prag; ? dec. C. Ioannes Náplava (47/28) Hradec Králove; 24 apr. P. Carolus Pokorny (73/41) Benešov.

Poloniae Maior. et Maz.: 4 dec. P. Ioannes Beigert (81/61) Warszawa; 23 dec. P. Maximilianus Piechocki (68/49) Warszawa; 31 ian. P. Iacobus Krysa (78/55) Wilno; ? febr. C. Eugenius Zeleźniak (42/20) *Dachau*; 7 maii P. Stanislaus Felczak (36/21) *Dachau*; ? ? C. Ladislaus Raciński (28/9) *Mauthausen*; 4 iun. C. Clemens Daniłko (75/49) Lublin; 28 iun. C. Ioannes Kozieł (69/53) Lublin; ? ? S. Bronislaus Gładysz (29/13) *Dachau.*

Poloniae Minoris: 26 nov. C. Ignatius Kolegowicz (81/48) Warszawa; ? dec. C. Theodorus Czyz (69/41) Tarnopol; 20 mart. P. Iosephus Machowski (69/50) Starawieś; 15 maii C. Leopoldus Wojtalla (71/41) Kraków; 18 maii P. Bronislaus Rejman (32/16) Kraków; 22 maii P. Stanislaus Siarkowski (78/60) Starawieś; ? ? S. Bronislaus Wielgosz (26/7) *Dachau*; ? ? P. Ioannes Haniewski (69/52) Tawda (Russia); ? ? C. Caietanus Górski (63/38) Tawda (Russia).

Argentinensis: ? ? C. Rudolphus Sansolini (56/14) Pengpu (Sinae); 15 oct. N. S. Eduardus Lanús (30/1) Córdoba.

Brasiliae Merid.: 5 oct. P. Adalbertus Heeb (80/63) ?.

Chilensis: ? ? C. Ioannes Serafino (72/55) Valparaiso; ? ? P. Emmanuel Ureta (64/47) ?.

Colombiana: ? ? P. Carolus Currea (63/49) Medellín; 2 dec. C. Andreas Lafuente (79/51) Calí.

Mexicana: ? ? C. Iosephus Puente (73/46) Mexico; ? ? C. Franciscus Vega (71/38) Mexico; 10 febr. P. Aemilius Fernández (43/22) Montezuma; 28 maii C. Felix Echeverría (69/40) Granada.

INDEX

1902